¶ Qualiter abbas machariꝰ ma
ior digito ori impoſito quid fugiē
dū eſſe ſignificauerit Ca·x·:·

Abbas Macharius maior i
ſcythi dicebat· Poſtq[uam] miſſas
eccleſie fratres fugite· Et dixit ei
vnus fratrum· Pater vbi habe
mus fugere amplius a ſolitudine
iſta? Et ponebat digitum ſuū in
ore ſuo dicens Iſtud eſt quod fu
giendum dico Et ſic intrabat ī cel
lam ſuam ⁊ claudens oſtium ſede
bat ſolus·

¶ De abbate paſtore ⁊ fratribꝰ
eius q̄ non p[er]ſenſerint vt eos ma
ter ſua videret Ca·xi·

Narrauit quidam ſenum de
abbate Paſtore ⁊ fratrib[us]
eius qui habitabant in egipto·
Cum deſideraret mater eius vidē
eos ⁊ nō poſſ[et] obſeruauit vna die ⁊
eūtib[us] ill[is] ad ecclāā obtulit ſe eis·

Illi aūt videntes eā ꝯverterunt ſe
ad cellam ⁊ intrantes clauſerunt
oſtium in faciem eius. Illa autē
ante oſtium ſtans clamabat plo
rans cum nimia miſeracōne. Au
diens āt eā abbas Anub intrauit
ad abbatem paſtorem dicens: qd
faciemus vetule iſti ita ante oſtiū
flēti? Surgens aūt abbas paſtor
venit ad oſtiū et intro ſtans audi
uit eam plorātē miſerabiliter ni
mis ⁊ dixit ei Quid ſic clamas ve
tula? Illa autem cum vocem eius
audiſſꝫ multo magis clamabat plo
rans ⁊ dixit. Volo vos videre filij
mei. Quid enim eſt ſi videro vos?
Nunquid non ſum mater veſtra?
Aut non ego vos lactaui ⁊ tota iā
ſum canis plena? Sed ⁊ audiēs
vocem tuam turbata ſuꝫ. Dicit ei
ſenex. Sꝫ nos vis vidē: an in illo ſe
culo? Reſpōdit ei. Et ſi non vos vi
dero hic: videbo vos illic filij? Dicit
ei. Si potes equanimiter ferre ut
hic nos non videas: videbis nos
illic. Et ita diſceſſit mulier gaudēs
et dicens. Si omnino viſura ſuꝫ
vos illuc: nolo vos videre hic.

¶ Qd abbas Syſoi niſi ſuggerē
te diſcipulo ſepe oblitꝰ ſit ſumere
cibum. Ca. xij.

FRequenter dicebat abbati
Syſoi diſcipulꝰ ſuus Sur
ge abba manducemus. Ille autē
dicebat Quia adhuc non mandu
cauimus filij? Et ille reſpondebat
Non pater. Dicebat autem ſenex
Si nondum manducauimꝰ affer
manducemus.

¶ Qd abbas Siluanus cum di
ſcipulo ſumpto cibo in monaſteio
ſicientē diſcipulum poſtea in via
bibere phibuerit cauſa ieiunij.

VEnerūt aliquā Ca. xiij.
do abbas Siluanus ⁊ diſci
pulus ſuꝰ Zacharias ad quoddā
monaſteriū et fecerūt eos guſtaē
modicū anteq̄ ambularēt. Et exe
untibus illis inuenit diſcipulꝰ eiꝰ
aquā in via ⁊ volebat bibere Et di
xit ei abbas Siluanus Zacharia
hodie ieiuniū eſt. Cui ille ait. Nō
manducauimus pater. Dicit ei ſe
nex Illud manducaē caritatis fu
it. nos autē teneamus noſtrū ieiu
nium fili mi.

¶ Abbas Arſeniꝰ quātum ſpaci
um dormiēdi monacho pfixerit.
Capitu. xiiij.

DIcebat abbas Arſeniꝰ. ſuf
ficit mōcho ſi dormierit vnā
horam ſi tn̄ pugnator eſt.

¶ Narratio de eiꝰ pciſſimi victꝰ
continentia. Ca. xv.

DIcebat de eo abbas Daniel
quia tantos annos manſit
nobiſcum et menſuram paruā vi
ctus dabamus ei in anno ⁊ quoci
ens veniebamus ex inde ꝯmedeba
mus et nos. ITerum dixit quia
quando audiuit q maturaſſꝫ om
ne genus pomorum dixerit. Affer
te michi. Et guſtauit ſemel tm̄ pa
rū ex omnibus grās agens deo.

¶ De abbate Ammoy q̄ egro-
tans nunq̄ intenderit quid in cel
la haberet· Cap̄·xvi·

Referebant de abbate Am
moy q̄ egrotaret ꝛ in lecto
plurimis annis decūbens nūq̄ la
xauit animū ſuum vt intenderet
in interiora celle ſue ꝛ videret q̄d
haberet· Multa em̄ deferebantur
ei velut infirmo· Sed introeūte
diſcipulo ſuo Johanne ꝛ exeunte
claudebat oculos ſuos ne videret
qd̄ faciebat· Sciebat enim quia
fidelis monachus eſſet·

¶ De quodā fratre abſtinente q̄
cauſa ieiunij cōuentum publicum
fugiebat· Cap̄·xvij·

Quidam patꝛ dicebat quia
ſciēt fratrē in cella ieiunā
tem tota ebdomada paſche Et cū
ſabbato ſero veniſſet ad miſſā cō
municans mox fugiebat ne coge
ret a frīb⁹ in ecclā māducaē Ipſe
ſe āt tm̄ modicas betas elixas cū
ſale manducabat ſine pane·

¶ De ſene infirmo qui cibum no
xium a neſciente diſcipulo obla-
tum tacitus comedit Ca·xviij·

Infirmatus eſt aliquādo quidam
ſenex· Et cum non poſſet ſumere
cibum multis diebus rogabatur
a diſcipulo ſuo vt faceret ei aliquid
et reficeret· Abijt autem ꝛ fecit ei
de farina lenticule zippullas Erat
autē ibi vaſculū pendēs in q̄ erat
modicū mellis ꝛ aliud in quo erat
rafanelleum ꝛ fetebat q̄ tm̄ ad
lucernā pficeret Errauit autem
frater ꝛ p melle de rafanelleo miſit
in pulmētum ꝛ obtulit ſeni· Et cū
guſtaſſet ſenex michil locutus eſt
ſꝫ tacitus comedit· Cōpellebat eū
iterū māducare Et extorquēs ſibi
māducauit Et dabat ei tercio Ille
autē noluit manducare dicens·
Vere nō poſſum fili Diſcipul⁹ aūt
hortabatur eū dicēs Bonū eſt ab
ba Ecce ꝛ ego māduco tecum Et
cū guſtaſſet et cognouiſſet qd̄ fece
rat cecidit pnus in faciem ſuā di
cens· Ve michi pat̄ q̄ occidi te ꝛ
tu peccatū hoc poſuiſti ſup me q̄a
nō es locutus Dicit ei ſenex Non
contriſteris fili ſi dn̄s voluiſſet vt
mel manducarē mel habuiſti tunc
tere in zippullos·

¶ Infirmata dei ācilla virorū de
clināns aſpectū nec a ppō frē viſi
tare ſe paſſa eſt Cap̄·xix·

Frater abijt aliqn̄ viſitarē ſo-
rorē ſuā i mōſterio egrotātē
Erat āt illa fideliſſiā Et nō acq̄e
ſcēs aliqn̄ vidē virū ne occaſiōem
darēt frī ſuo vt ppt illā veniēt i mō
ſteriū feīarū mādauit eī dicens·
Vade frī ora p me q̄ cum gracia
xpi videbo te in regno celorum·

¶ Māducātes qdā prēm cū epō
theophilo carnes vſq; ad oñſio
nē ei⁹ putabāt ſe olera māducaē

Intrauerīt aliqn̄ prēs i Ca·xx·
alexādriā inuitati a Theophilo
epō vt preſentib⁹ hijs templa de
ſtrueret ydolorū Et māducātibꝫ

hijs cum archiepō ministrate fūt
carnes vituli ⁊ manducabant ni
chil diſcernentes · Et accipiēs epi
ſcopus vnū capodiuz dedit iuxta
ſe recūbenti ſeni dicens Ecce iſtd
eſt bonum capodiuz manduca ab
ba · Illi autē reſponderūt dicētes
Nos vſqz modo credebamus quia
olera manducaremus Naz ſi car
nes ſunt non manducamus et vl
tra nemo ex eis acq̄euit guſtare ·

¶ Q̄uo quidā adiurati plus ſoli
to manducauerint · Ca · xxi ·

Frater quidam in cellam at
tulit recentes panes ⁊ inui
tauit ad menſam ſeniores · Et cuz
manducaſſent ſinguli binos pari
mates pauſauerunt Frater vero
ſciens laborem abſtinentie eoꝝ ce
pit cū humilitate ſupplicare dicēs
Propter dn̄m manducate hodie
donec ſaturemini Et manducaue
runt alios binos parimates Ecce
igitur quantum opus erat mādu
cauerunt ꝓpter deū veri monachi
et ſimpliciter abſtinentes ·

¶ De ſene egrotāte qui cibū lau
corē ſibi allatū accipe recuſauit ·

Egrotauit q̄ Capitu · xxij ·
daz ſenum aliquando mag
na infirmitate : ita ut de viſceribꝰ
eius ſanguis egrederetur Et attu
lit quidam frater Bortmeel mixas
ſiccas ⁊ fecit pultes ⁊ miſit eas ſibi
⁊ obtulit ſeni et rogabat eū dicēs
Comede quia forte expedit tibi In
tuens autez eum ſenex diucius di
xit Vere dico quia volebam ut me
dimitteret deus in hanc infirmita
te eſſe alios triginta annos et nul
lo modo acq̄euit ſenex in tali egri
tudine vel modicum cibum ſumere
ita ut tolleret frater qd portauerat
et rediret ad cellam ſuam ·

¶ Item de alio ſene infirmo qui
in cibo plorans vinū accepit ·

Alter ſenex Ca · xxiij ·
ſedebat longe in heremo et
contigit quendam fratrem venire
ad eum et inuenit eum infirmātez
Qui lauans faciez eius fecit ei re
fectionem ex hijs que attulerat ·
Qd cum vidiſſet ſenex dixit Vere
frater oblitus fueram quia habe
rent homines de cibo ſolaciuz Ob
tulit ei eciam calicem vini Qd cuz
vidiſſet plorauit dicens Non ſpe
rabam me vſqz ad mortem bibitu
rum vinum ·

¶ Qd quidam cauſa deſiderij
maioris ac premij ſitiens aquam
ante oculos ſuſpendit nec bibit ·

Etatuit quidā Ca · xxiiij ·
ſenex ut quadrāginta diebꝫ
non biberet Et ſi quando ei fiebat
cauma leuabat ſiriſculam et im
plebat eam aqua et appendebat
eam ante oculos ſuos · qui cum in
terrogaretur a fratribꝫ quare hoc
faceret : reſpondit dicens Vt cum
videro qd deſiderabam et non gu
ſtauero maiorem ardorem habeā
et ꝓpter hoc maiorem mercedez a
domino conſequar ·

¶ Qua cautela quidam eciā matrem ſuam trans fluuium portaue rit· Capi·xxv·

Frater quidā iter agens habebat ſecum matrē ſuā iaz ſenē· Qui cū venisset ad quēdam fluuiū non poterat vetula illa trāſire· Et tulit filius eius pallium ſuū ⁊ īuoluit exinde manus ſuas ne aliquādo contingeret corpus matris ſue ⁊ ita portans eam trāſpoſuit fluuiū Dixit autem ei mater ſua· Vt quid ſic operuiſti manus tuas fili? Ille aūt dixit Quia corpus mulieris ignis eſt et ex eo ipſo ꝙ te contīgebā veniebat michi cōmemoracio aliaꝝ feminarū in animo·

¶ Qd abbas elladius ·xx· annis tectum celle ſue non viderit·

Dicebant de ab Ca·xxvi· bate elladio·quia fecerit viginti annos in cella ⁊ non leuauerit oculos ſuos ſurſū vt videret tectum eius·

¶ Qd melius eſt tacere bona proximi ꝙ laudare· Ca·xxvij·

Dixit ſenex·quia frater iter rogauit abbatem pambo· Si bonū eſt laudare proximū? Reſpōdit ei·Bonū ē magis tacē·

¶ De abbate ſiſop ꝙ oblatum ſibi vinū bis accepit tercio recuſa uit· Capitu·xxviij·

Facta eſt aliquādo celebracio miſſarum in monte abbatis anthonij et inuentū eſt ibi nitidū vinum·Et tollens vnus de ſenibꝫ paruū calicem portauit ad abbatē Siſop et dedit ei ⁊ bibit ſemel ⁊ ſecūdo·Obtulit ei ⁊ tcio ⁊ nō accepit dicens Quieſce frat̄ Aut neſcis ꝙ eſt ſathanas·

¶ Caſtum monachū et in celo ⁊ ī tra honorandū· Capitu·xxix·

Dixit abbas Siſoys Caſt⁹ monachus in terra honoratur ⁊ in celo coram excelſo coronabitur·

¶ Quid aīn dei ancillis in itinere occurrens quid ab illis audierit·

Monachus q̄ Capi·xxx· dam occurrit ancillis dei in itinere q̄dā quibꝫ viſis diuertit ſe extra viā Cui dixit abbatiſſa Si perfectus monachus eſſes:non reſpexeras nos ſic vt cognoſceres ꝙ femine eramus·

¶ De ꝯtinencia oculoꝝ pſbiteri·

Aſcendit ali Capi·xxxi· quādo preſbit̄ de ſcychi ad epiſcopū alexandrinū et quādo reuerſus eſt in ſcychi interrogauerunt euz fratres Quomodo eſt ciuitas? Ille autem dixit eis Credite michi fratres ego ibi faciem nullius hominis vidi niſi tm̄ epiſcopi· Illi autem audientes mirati ſunt ⁊ dixerunt·Quid putas facta ē oīs m̄ltitudo? Preſbit̄ vero ſ̄fouit heſitātes dicēs Extorſi aīo meo ne īnueret faciē hoīs Ex q̄ rēlacōne ꝓfecerūt fratres vt cuſtodiant ſe ab extollēcia oculoꝝ ſuoꝝ

¶ De abbate Petro q̄ p̄ vino tepi
da aq̄ ɔtēt⁹ fuerit. Ca.xxxij.

Dicebant de abbate Petro
cognomento Piomo q̄ erat
in cellis quia vinum non biberet
Quādo autem senuit rogabāt eū
fratres ut sumeret modicum vini
qui cum non acquiesceret tepefaci
ebant aquā et ita ei offerebant ⁊
dicebat. Credite michi filij q̄a ve
lut cōditum illud accipio. Adiudi
cauit ergo se tepida aqua esse cō
tentum.

¶ Delectacōnes carnales ideo ā
putāda⁹ ut etiā iracūdia abscidat

Dixit abbas Ca.xxxiij.
Euagrius q̄a dixerit senex
Propterea amputo a me delectaci
ones carnales ut etiam iracūdie
occasiones abscidam. Scio ei eā
semp aduersum me pugnare pro
delectationibus ut cōturbaret mē
tē meā et intellectū meū extollēt.

¶ Qr abbas Sysoi onerosaz rē
dixerit sepius ad cibū vocari. itez
qz interrogatio de quātitate potus
⁊ responsio. Ca.xxxiiij.

Frater quidā rogauit abba
tem Sysoi dicens. quid fa
tio quia curro ad ecclesiam et fre
quenter frēs ad cibū p caritate re
tinent me? Dicit senex. Onerosa ē
res. Dicit ergo Abraham discipu
lus eius Si occurritur in sabbato
et dn̄ica ad ecclesiam ⁊ biberit fra
ter tres calices. ne multum est?
Dicit ei senex. Si non esset satha
nas non esset multum.

¶ Qd abbas Agathon pro taci
turnitate lapidez in ore trienio ha
buerit. Ca.xxxv.

Dicebāt de abbate Agatho
ne quia p triennīū lapidē in
ore suo mittebat donec taciturni
tatem disceret.

¶ Abbas Sysoi p triginta ānos
maxie postulabat custodiā oris suo

Dixit aliqn̄ cū Ca.xxxvi.
fiducia abbas Sysoi. Cre
de m̄ q̄a ecce triginta ānos habeo
q̄ nō depcor deū xp̄ī pctm̄. ſʒ orās
hoc dico. Dn̄e ihu xp̄e ptege me a
lingua mea. Et vsqz nunc p singu
los dies corruo p ipsā ⁊ delinquo.
Itē dixit quia pegrinacō nostra ē
ut teneat homo os suum.

¶ Abbas Achilles inueniens ab
batem ysaiam comedentē in q̄ euz
reprehenderit. Ca.xxxvij.

Venit aliquādo abbas Achil
les in cellam abbatis ysaie
in loco scythi ⁊ inuenit eū comedē
tem. Miserat enim in cathino sal
et aquam Videns autem quia ab
scōdit illud post plecta⁹ de palmis
dicit illi. Dic michi. Quid mandu
cas? Ille respōdit Ignosce michi
abba. quia palmas incidebam et
ascendi in cauma. propterea intī
xi modicam buccellam in sale et
misi in ore meo et exaruerūt fau
ces mee. Et quia non descendebat
buccella quā in ore meo miseram
ppterea cōpuls⁹ sū supfūdē modicū

aque in ſal vt vel ſic glutirē poſ
ſim· Sed ignoſce michi· Et dice
bat abbas achilles Venite ⁊ vide
te yſaiam iuſellum comedentem i
ſcychi· Si ius mādūcare vis va
de in egipto·

¶ Quot annis abbas yſidorus
dixerit temptanti ſe concupiſcen
cie et iracundie nunq̄ cōſenſiſſe·

Dixit abbas Ca·xxxviij·
yſidorus quadraginta an
nos eſſe ex quo ſentiret quidē mo
tum peccati in mente ſua nūq̄ ta
mē ꝯſentiret neqꝫ cōcupiſcēcie ne
qꝫ iracundie·

¶ Quod abbas iohannes came
lario ſe prouocāte ad irā dimiſit
que portabat et fugit· Ca·xxxix·

Abbas iohānes dixit· quia
aſcendens aliquādo per vi
am que ducit ad ſcychi cū plectis
de palmis vidi camelariuꝫ loquē
tem ⁊ ꝯmouentem me ad furorem
et ego dimiſi quod portabam et
fugi·

¶ Quod abbas paſtor coactus
mādūcare lacrimādo obedierit·

Dicebant de abba Ca·xl·
te paſtore quia dum voca-
tus fuiſſet ad manducandum cō
tra voluntatem ſuam ibat lacri-
mando ne inobediens eſſet fratri
bus ſuis et contriſtaret eos·

¶ Quidā fratrum nolens cū ce
teris bibere vinum cum fugiſſet
in criptam ſubita eius ruina pro
ſtratus eſt· Capitu·xli·

Facta ē aliquādo feſtiuitas
i ſcychi et dederunt ſeni in
calice vinum· Qui abiciens dixit
Tolle a me mortem iſtam· Quod
vidētes alij qui cum ipſo edebant
nec ipſi biberunt Alia vice allatū
eſt ibi vaſculum vini de primicijs
vt daretur fratribꝫ ad ſingulos
calices· Et introeunte quodam
fratre et vidente quia vinum acci
perent fugit in criptam· Que crip
ta mox cecidit· Cum audiſſēt ſo-
num currentes inuenerūt fratreꝫ
ſemianimē iacentem· Et ceperūt
obiurgare eum dicentes Bene ti
bi contigit· quia vanam gloriam
habuiſti· Abbas autēꝫ refouens
eum dixit· Dimittite filium meuꝫ
bonum opus fecit· Et viuit domi
nus· quia nō reedificabitur crip
ta hec tēpoibꝰ meis vt cognoſcat
mundus· quia ꝓpter caliceꝫ vini
cecidit cripta in ſcychi·

¶ Abbas yſidorus interrogatus
cauſam reddit cur ſe demones ti
meant· Capitu·xlij·

Interrogauit quidam fra-
ter abbatem yſidorum ſeni
orem in ſcychi dicens· Quare ſic
fortiter demones te timent· Dicit
ei ſenex· Ex quo factus ſum mo-
nachus ſtudeo ne permittam ira
cundiam vſqꝫ ad fauces meas
aſcendere et ideo timent me demo
nes·

¶ Capitula contra fornicacio
nem·

Qualiter quidaʒ frat̄ a forni
cacōe tēptatus ꝑ quēdaʒ ſe
nē ſit in deſperacōnem adduct⁹ ⁊
ꝑ beatū Appollo ꝯſolatus ⁊ q̄ ſalu
briter ꝑ hoc ille ſenex correptus ſit
Capitu· p̄·                    ·fo·9A·
Abbatiſſa Sara q̄ fortiter con
tra ſpm̄ fornicacōis pugnauerit·
Capitu·ij·                    fo·9A·
Item de eadem q̄ glorioſe vice
rit·Ca·iij·                    fo·9A·
Qđ moleſtias cogitacōnū nō ha
beat q̄ cōtra peccata non pugnat
Capitu·iiij·                    ·fo·98·
Quotua cogitacōnū fantaſmata
nō eſſe timēda ſi ꝯſenſum ⁊ opa fu
giamus Ca·v·                    ·fo·98·
Peius malū eſſe fornicacōem q̄
oblocucōnem Ca·vi·                    ·fo·98·
De puero Ignaro mulier ꝗ cui de
ceptorij ſpūs fruſtra oñdebāt mu
liēs in viſu·Ca·vij·                    ·fo·98·
Item de alio q̄ iuſſu patrum ad
heremū pgēs fetidam ymaginem
vidit et ſic temptaciones euicit·
Capitu·viij·                    ·fo·98·
Quomodo quidā monach⁹ caſū
alterius nocte didicerit ⁊ ad eum
veniens iaʒ deſperantem ſua āmo
nicōe ſaluauerit Ca·ix·                    fo·98·
De dyacono lapſo cuius penitē
tiam deus acceptaʒ ſibi fore mira
culo declarauit·Ca·x·                    ·fo·99·
Item de duobus lapſis quoruʒ
vnus in ſpe· alter in timore per
fecte penituit et ideo eſt amborum
equalis penitencia apud deū iudi
cata·Ca·xi·                    ·fo·99·
De quodam ſene ꝑ incautam ſe
curitatem in peccatum lapſo q̄ pu
blice penitens ceteros cautos eſſe
ammonuit·Ca·xij·                    fo·99·
Item de duobus fratribus quo
rū vni peccāti deus ꝑ alteri⁹ indul
ſit caritate·Ca·xiij·                    fo·99·
Exemplo Joſeph ⁊ Job tēptacō
nibus vſqʒ ad finem eē reſiſtēdū
Capitu·xiiij·                    ·fo·C·
Qualiter quidam ſolitarius tē
ptatus a muliere digitos ſibi incē
derit ipſaqʒ a mortuis ſuſcitata de i
ceps caſte vixerit Ca·xv·                    ·fo·C·
De quodam fratre qui de ſidcio
coniugij deum ſe negare cōſenſit
⁊ poſtea penitens inditio colūbe ve
niā ꝑmeruit·Ca·xvi·                    fo·C·
De filio ſacerdotis ydolorum q̄
ꝑ inſultantes demones diſcens ca
ſum monachi factus eſt monach⁹
Capitu·xvij·                    ·fo·Ci·
De fratre vndecies ſe acuſante
q̄uo tā de ſenis hūilitate ꝗeuit ei⁹
temptatio·Ca·xviij·                    fo·Ci·
Qđ nō cum duritia ſed cum benig
tate auerſos a nobis debeamus re
uocare·Ca·xix·                    fo·Ci·
De monacho in fornicacōnem
lapſo qui per annum iugiter peni
tens nocte ſacre dominice reſurre
ctiōis indicō lucerne ſua ſpōte accē
ſe veniā ꝑmeruit Ca·xx·                    ·fo·Cꝛ·
Qualiter quidam ſenex quen-
daʒ tractauerit alijs detrahētem·
Capitu·xxi·                    ·fo·Cꝛ·

Qđ quidam fortiter diu dimicã
ti de poñem carnalẽ ↄcupiſcẽciaꝫ
abſtulerit Ca · xxij · · fo · Cz ·
Contra petulãciã carnis maxie
valere tria · Jeiuniũ · ſilenciũ ⁊ ſo
litudinẽ Ca · xxiij · · fo · Cz ·
Quõ ꝑ fratꝝ oracõem a quodaꝫ
fratre ſtimulꝰ carnis quieuit Ca
pitulũ · xxiiij · fo · Cz ·
Qđ ꝑ recordacõeꝫ amare mortis
vincenda ſit ſordida cogitacio ·
Cap̃ · xxv · fo · Cz ·
¶ Malas cogitacões non poſſe
penitus eradicari · poſſe autẽ eis re
ſiſti Ca · xxvi · fo · Cz ·
¶ Quidã poſt ↄfuſionem vxoris
ↄcupiſcẽcia ſtimulatus ⁊ laboris
fatigacõe debilitatus quo conſilio
tam corporis q̃ aĩme ſanitatẽ rẽce
perit Ca · xxvij · fo · Cz ·
Cõtra fornicacõnẽ ꝑs qnta
¶ Qualiter quidã frater a forni
cacõne temptatus per quẽdaꝫ ſe
nem ſit in deſperacõneꝫ adductꝰ
⁊ per beatum appollõ conſolatus
et q̃ ſalubriter ꝑ hoc ille ſenex cor
reptus ſit · Ca · p̃mũ ·

Frater quidam erat õ
nino in conuerſaciõe
ſollicitus · Et auꝫ val
de a fornicacõnis de
mone turbaretur: venit ad quen
dam ſenem ⁊ retulit ei cogitacões
ſuas · Jlle autem audiens quia
expers erat indignatus eſt ⁊ mi
ſerabilẽ dicebat eſſe illuꝫ fratrẽ
et indignuꝫ monachi habitu quip
pe qui huiuſmõi cogitacõnes rece
perit · Hec audiens frater deſpe
rãs ſeipſum reliquit ꝓpriam cellã
⁊ ad ſeculũ redibat · Secđm autẽ
diſpẽſacõneꝫ dei occurrit ei abbas
appollo ⁊ videns eum perturbatũ
et nimiũ triſtem interrogauit eũ
dicens · Fili que eſt cauſa tãte tri
ſticie? Jlle autẽ ex multa confuſi
one animi ſui non reſpondit ei ħc
q̃ · Poſtea vero cum multum ro
garetur a ſene que circa ſe agerẽ
tur confeſſus eſt dicens · quia co
gitacões fornicacõnis inquietãt
me · Quod confeſſus ſum illi ſeni
et ſcđm verbum eius non eſt michi
ſpes ſalutis · Deſperans ergo me
ipſum ad ſeculum redeo · Hec au
tẽ pater appollo audiens velut ſa
piens medicus multũ rogabat et
monebat eum dicens · Noli mirã
ri fili neqꝫ deſperes teipſũ · Ego et
in hac etate atqꝫ conuerſacõe val
de ab huiuſmõi cogitacõnibꝰ inq̃e
tor · Ne ergo deficias huiuſmõi oc
caſione q̃ nõ tãtũ humana ſolli ci
tudine quãtum dei miſeracõne cu
ratur · Tm̃ hodie dona michi qđ pe
to ⁊ reuertere ad cellã tuaꝫ · Fecit
autẽ ſic · Abbas aũt appollo diſce
dens ab eo perrexit ad cellã ſenis il
lius qui ei deſperacõeꝫ fecerat et
ſtãs foris deꝑcatꝰ ẽ dñm cũ lacrĩs
dicens · Dñe qui teptacões vtilit̃
infers ↄũte bellũ qđ patit̃ fr̃ ille i
hũc ſenẽ vt ꝑ expimẽtũ i ſenectu
te ſua diſcat quod tempore lõgo

nō didicit quatinus cōpatiat̄ hijs
qui hmōi temptacōnibꝫ ꝑturbant̄
Qui cū oracōnē ꝯplessꝫ vidit ethi
opez stantem iuxta cellam ⁊ sagit
tas mittentem cōtra illum senem
Quibꝫ quasi ꝑforatus statim q̄si
ebrius a vino huc atꝫ illuc fereba
tur· Et cū non possꝫ tolerare egres
sus est de cella ⁊ eadēqꝫ via qua ⁊
ille iuuenis ad seculū redibat Ab
bas aūt Appollo intelligēs q̄d fa
ctuꝫ erat occurrit ei et accedēs ad
eū dixit· Vbi vadis ⁊ que est cau
sa turbacōnis que obtinet te? Ille
aūt sentiens ꝙ intellexit vir san
ctus que ei euenerāt pre verecun
dia michil dicebat· Dixit autē ab
bas Appollo· Reuertere ad cellā
tuam et de cetero agnosce infirmi
tatem tuam et habe apud temetip
sū· ꝙ aut ignorat⁹ sis a dyabolo
vsqꝫ modo aut ꝯtemptus ꝓpter q̄d
nō meruisti scd̄m virtutū vires ha
bere contra dyabolum luctamēta
Quid autē dico luctamenta q̄ nec
vno die aggressionē ipsius porta
re potuisti? Hoc aūt tibi cōtigit ꝙ
iuuenē illū a cōi aduersario īpug
natum suscipiens ⁊ cū debuisses eū
contra dyaboli certamen consola
torijs monere verbis ⁊ etiā in despe
racōnem posuisti ⁊ non cogitans il
lud sapientissimū preceptum quo
iubemur eripe eos qui ducunt̄ ad
mortem et nō negligas redimere
occidendos· Sꝫ neqꝫ ꝑabolaꝫ salua
toris nostri dicentis· harūdinem
quassatam nō debere cōfringi et li
nū fumigans non extingui· Neo
eīn ferre posset insidias adūsarij
neqꝫ bulientis nature ignem ex
tinguē vel retinere nisi gratia dei
cōfortaret infirmitatem humanā
que in nobis salutari dispensacōe
humiliatur· Jā cōi oracōe dn̄m de
precemur ut aduersuꝫ te emissuꝫ
flagellū auertat̄· qm̄ ipse doloreꝫ
facit et iterū saluti restituit ⁊ ꝑcu
tit et manus eius sanat ⁊ hūiliat ⁊
exaltat ⁊ mortificat ⁊ viuificat ⁊ de
ducit ad inferos ⁊ reducit Hec di
cens oracōem implet ⁊ statim ab
illato sibi bello senex ille literat⁹
est· Quē cōmonuit abbas Appol
lo ut peteret sibi dari a d̄o linguā
eruditam ut sciret tempus q̄ opor
teat loqui sermonem·

¶ De abbatissa Sara q̄ꝫ fortiter
ꝯtra spm̄ fornicacōis pugnauerit·
Narrauerunt de Ca·ij·
abbatissa Sara ꝙ mānsit
tredecim annis fortiter a fornica
cōibꝫ impugnata ⁊ nūq̄ꝫ orauit vt
recederet ab ea hmōi pugna· Sꝫ so
lū hoc dicebat· Da michi fortitudi
nem deus·

¶ Itē de eadē q̄ꝫ gloriose vicerit·
Dixerūt iterū de Ca·iij·
ea q̄a infestiores ei fuerint
aliquando imminentes fortiē ijdē
fornicacōnis demones ⁊ mittentes
in cogitacōnes eius seculi vanita
tes· Illa autē non relaxans aīm
a timore dei ⁊ a ꝓposito abstinēcia
ascēdit

aſcēdit ſemel ſup lectum ſuū orare et apparuit ei corpaliter ſpūs fornicacōnis ⁊ dixit ei. Tu me viciſti ſata. Illa āt reſpondit. Ego te non vici. ſʒ dn̄s meꝰ ih̄s xp̄s.

¶ Qd̄ moleſtias cogitacōnū non habeat qui cōtra peccatā nō pugnat. Ca. iiij.

De cogitacōne fornicacōnis īterogatus abbas Syrꝰ alexādrinꝰ ita rn̄dit. Si cogitacōnes nō habes ſpem nō habes. qm̄ ſi cogitacōes nō habes opa hēs. Hoc autē eſt ꝙ qui cogitacione adūſus peccatū nō pugnat neqꝫ cōtradicit corpalit̄ peccās cogitacōnū moleſtias nullas habet.

¶ Mortua cogitacōnū fantaſmata nō eſſe timēda ſi ꝯſenſū ⁊ opa̅ fugiamꝰ. Ca. v.

Interogauit q̄dā ſenex frēz dicēs. Ne ꝯſuetudinē habes colloq̄ mulieri. Et dixit frat̄. Non. Et ille dixit. Veteres et noui pictores ſūt cogitacōes mee ⁊ ꝯmemoracōne ſ quedā inq̄etantes me ex ſimilitudine mulieꝝ. Senex autem dixit ad eum. Mortuos nō timeas ſed viuētes fuge. hoc ē ꝯſenſu ⁊ ope pc̄m et extēde magis orōez tuā.

Peius malū eſſe fornicacōem ꝙ oblocucōem. Ca. vi.

Dicebat abbas Motops ꝙ quidā frater veniēs dixit deteriorē eſſe qui obloquit̄ ꝙ qui fornicatur. Et rn̄dit. Durus ē ſermo. Dixit ego ei frat̄. Et [illegible]quō vis eſſe hanc rem. Dixit ſenex. O blocucio quidez mala eſt. celerem tn̄ inuenit curā ⁊ plerūqꝫ penitēciam agit qui oblocutus eſt dicens male locutus ſū ⁊ tranſit. fornicacio autē naturalit̄ mors eſt.

¶ De puero ignaro mulieruꝫ cui deceptorij ſpūs fruſtra oñdebant mulieres in viſu. Cap̄. vij.

Dicebant de quodā ſene qui deſcendit in ſcychi et hēbat filiū adhuc ſugētē lac. Qui qm̄ in mōſterio nutritꝰ ē neſciebat quid eſſʒ mulier. Qui cum factꝰ fuiſſet vir oſtendebāt ei demones nocte habitū mulieꝝ ⁊ nunciauit patri ſuo ⁊ mirabat̄. Aliqn̄ ergo aſcendit cū patre ſuo in egiptū ⁊ vidēs mulieres dicit patri ſuo. Abba ecce iſti ſūt qui veniebāt ad me nocte in ſcychi. Et ille dixit ei. Iſtos quos vides monachi de ſeculo ſūt fili. Alio habitu vtūtur iſti ⁊ heremite alio. et miratus eſt ſenex q̊ modo in ſcychi oñderint ei demōes ymagines mulierū et ſtatim reu̅ ſi ſūt in cellam ſuam.

¶ De alio qui iuſſu pr̄m ad heremū pgens fetidā ymaginē vidit ⁊ ſic tēptacōes euicit. Ca. viij.

Venit aliqn̄ quidam in ſcychi vt fieret monachꝰ qui ec̄ accepit filium ſuum nup ablactatū. Qui cū factꝰ fuiſſʒ iuuenis cepe rūt impugnatores demōes ſollicitare eū. Et dixit pr̄i ſuo. Vado ad ſeculū quo mā nō valeo carnales

concupiſcencias ſuſtinere. Pater
aūt eius conſolabatur euz. Dixit
ergo illi iuuenis Jā ſuſtinere nō
valeo pater. dimitte me redire ad
ſeculum. Dixit ei pater ſuus Audi
me fili adhuc ſemel et tolle tibi q̄
dragīta panes ⁊ folia palmaꝝ
dierum quadraginta ⁊ vade in he
remū interiorem ⁊ eſto ibi quadra
ginta diebus et voluntas domini
fiet Qui obediens patri ſuo ſurre
xit ⁊ abijt in heremū ⁊ manſit ibi
laborans ⁊ faciens plectas de pal
mis et panem ſiccaz comedens Et
cum ibi dies viginti quieuiſſz ecce
vidit opus quoddā dyabolicū ve
nire ſuper ſe ⁊ ſtetit corā eo velut
mulier ethiopiſſa fetida ⁊ turpis
aſpectu ita vt fetorem eius ſuffer
re non poſſet ⁊ abiciebat eam a ſe
Et illa dicebat ei. Ego ſum que ī
cordibus hominū dulcis appareo
ſed ꝓpter obedienciam tuam et la
borem quē ſuſtines non permiſit
me deus ſeducere te. ꝫ innotui ti
bi fetorem meū. Ille autem ſurre
xit et gracias agens deo venit ad
patrem ſuum ⁊ dixit ei Jam nolo
ire ad ſeculum pater. vidi enim
operacōnē dyaboli ⁊ fetorem eius
Cognouerat autēz pater eius de
hoc ipſo. et dicit ei Si manſiſſes
q̄dragīta dies et cuſtodiſſes vſqꝫ
ad finē mandatum meū maiora
habuiſſes videre.

¶ Quomodo quidam caſum al
terius nocte dedicerat et ad eū ve
niens iam deſperantem ſua āmo
nicione ſaluauerit. Capi. ix.

Senex quidā ſedebat in lon
giqua heremo qui habebat
vnam parentem que deſiderabat
eū poſt annos multos videre ⁊ ex
q̄ſiuit in quo loco habitaret Sur
rexit ⁊ venit in viaz heremi illius
et inueniens camelarios adiūxit
ſe cum illis et ingreſſa eſt in here
mo cum eis Hec autem trahebat̄
a dyabolo Que cum veniſſz ad ia
nuam ſenis ſignis cepit indicare
ſeipſam dicens. Ego ſum illa pa
rens tua. Et manſit apud eū.

Erat aūt alius monachus ſedēs
i inferiori pte heremi qui īplebat
ſibi ſuriſculā aqua ⁊ hora qua mā
ducare voluiſſz ſubito verſabatur
ſuriſcula ⁊ fundebatur aqua Qui
inſpirante deo dixit in ſemetipſo
Ingredior ī heremū ⁊ dicō hoc qđ
michi euenit de aqua ſenioribus
et ſurgens abijt. Et cuz ſero factū
eſſz dormiuit in templo quodā ydo
lorū iuxta viā ⁊ vidit nocte demo
nes dicentes Iſta nocte precipita
uimus illū monachum in fornica
cōez. Qđ cū audiſſz cōtriſtatus eſt
et perueniens ad ſenē īuenit euz tri
ſtem ⁊ dicit ei Quid facio abba. qꝛ
impleo michi vaſculū aq̄ ⁊ in ho
ra manducandi effundit̄ Et dicit
ei ſenex. Tu veniſti interrogare me
qꝛ ſuriſcula tua verſat̄ ⁊ ego qđ fa
ciā qꝛ hac nocte cecidi in fornicaci
onē: Qui rſpōdit Et ego cognoui

Et dicit ei. vnde ſcis. Qui dixit. Dormiebā in templo ⁊ audiui demones loquētes de te. Et dixit ſenex. Ecce vado ad ſeculū. Ille aūt rogabat eum dicēs Non pat ſed pmane in loco iſto: mulierē dimitte hinc. Hoc eñ ex occurſu inimici ↄtigit. Quo audito ſenex ſuſtinuit extēdens et aggrauās ↄuſacōnē ſuam cū lacrimis donec rediret in priorem ordinē ſuū.

De dyacone lapſo cui⁹ penitenciā deus acceptā ſibi fore miraculo declarauit. Ca.x.

Frater quidā interrogauit ſenē dicēs Si ↄtingat hoiez in temptacōem cadere quid fit propter eos q̄ ſcandalizātur in eo. Et narrauit ſenex dicēs Dyacon⁹ quidā erat nominatus in monaſterio egipti. Dum autē quidā curialis inſecucōem iudicis pateret: venit cū ōni domo ſua ad monaſterium ⁊ coopāte iniquo incurrit dyacon⁹ ille in mulierē eius ⁊ facta ē ōnibus frībus ↄfuſio. Ille autem abijt ad quēdam ſenē ⁊ idicauit ei rem. Senex vero habuit cellā interiorē occultā. Quā cū vidiſſet dyacon⁹ ille dixit. Sepeli me hic ſic viuū ⁊ nō indices cuiq̄ Et itrauit in obſcuritatē illi⁹ celle ⁊ egit illic penitēciā ex veritate Contigit autē vt poſt aliquātū tempis non aſcēderet aqua in flumine Nyli. Et cū ōnes letanias facerēt: reuelatū eſt cuidā ſanctoꝝ q̄ niſi venerit dyacon⁹ q̄ abſcōſus eſt apd illum talē monachū nō aſcēderet fluminis aqua Qd cū audiſſent ammirati ſūt ⁊ venientes eiecerunt eū de loco in quo erat ⁊ orauit ⁊ aſcēdit aqua ⁊ qui aliqñ ſcandalizati fuerāt edificati ſunt ⁊ poſtea ī penitēcia eius glorificauerūt deum.

De duob⁊ lapſis quoꝝ vnus ī ſpe alter in timore pfcē penituit ⁊ ideo eſt amboꝝ eq̄lis penitēcia apd deū iudicata. Capitu.xi.

Duo frēs impugnati a fornicacōe abierūt ⁊ acceperūt vxores. Poſtea vero dixerūt ad inuicez. Quid lucrati ſum⁹ q̄ deſeruim⁹ angelicū ordinē ⁊ venimus in immūdiciā iſtā ⁊ poſt hec in ignē tormenti venturi ſum⁹: Redeamus ergo iteꝝ ad heremū ⁊ agamus de hijs q̄ pſumpſim⁹ penitēciam. Et venientes ad heremū rogauerūt prēs et ſuſceperūt eos penitētes ⁊ ↄfitētes ea que geſſerant. Et clauſerūt eos ānum integꝝ ſenes ⁊ ābobus equalit ad penſum dabāt pāes et ad mēſurā aquaꝫ Erāt aūt viſiōe ↄſimiles. Et duꝫ ↄpletū fuiſſꝫ temp⁹ pnie exierunt et viderūt prēs vnū pallidū ⁊ triſtē nimis. aliū vero claꝝ ⁊ robuſtū. Et mirati ſūt qm̄ et cibū et potū eq̄liter acceperāt Et interrogauerūt eū q̄ triſtis ⁊ afflict⁹ erāt dicētes Quid excebas cū cogitacōib⁊ tuis in cella tua: Et ille dixit Pro malis q̄ feci q̄ penas in q̄s venturus

erã ĩ animo meo revoluebã ⁊ a ti
more adheſerunt oſſa mea carni
mee Interrogauerũt autẽ ⁊ aliuz
dicentes Quid cogitabas in cella
tua? Et ille reſpondit· Deo graci
as referebã· quia eruit me de ĩqui
namentis mũdi huius et de futuri
ſeculi penis ⁊ ẽuocauit me ad hãc
cõuerſacõnez angelicã ⁊ remiſcẽs
dei mei letabar Et dixerũt Equa
lis eſt amboꝝ penitẽcia apd deũ·

¶ De quodã ſene p incautã ſecu
ritatẽ ĩ peccatũ lapſo qui publice
peitẽs ceteros cautos eẽ ãmonuit

Senex qdã erat ĩ Capi·xij·
ſcychi Qui cũ iacuiſſz ĩ egri
tudinez magnã ſeruiebant ei fra
tres Et videns ſenex quia labora
rent dixit· Vado in egiptũ vt non
ſoluã fratres iſtos· Et dicit ei ab
bas moyſes Non vadas quia in
fornicacõnem incurſurus es· Ille
autem contriſtatus dicebat Mor
tuũ eſt corpus meũ ⁊ tu michi iſta
dicis Surgens ergo abijt inegi
ptum· Quod cuz audiſſent homi-
nes circũquaqz habitantes offere
bant ei multa· Venit eciam ad eũ
quedam virgo fidelis volens obſe
quiũ ſuum ſeni infirmanti impẽ
dere· Et poſt aliquãtũ temporis cũ
paululum de egritudine qua tene
batur melius habuiſſet incurrit ĩ
eam ⁊ illa concepit· Interrogata
autem a vicinis loci vnde cõcepiſſz
illa reſpondit· De hoc ſene· Illi au
tem ei non credebant· Senex ve
ro dicebat· Et feci· ſed cuſtodite ĩ
fantem quẽ paritura eſt· Que cuz
genuiſſet puerũ ⁊ ablactatus fuiſ
ſet tulit ſenex infantem in hume
ros ſuos ⁊ die qua erat feſtiuitas
in ſcychi occurrit ibi ⁊ intrauit ĩ ec
cleſiam coram multitudine fratꝝ
Illi autem videntes euz fleuerũt
Qui dixit fratribus· Videtis in-
fantem hunc? Filius eſt inobediẽ
cie· Cauete ergo vos fratres· qꝛ
in ſenectute hoc feci ⁊ orate p me·
Et pergens ad cellam ſuã ad ini
cium pme cõuerſacõis ſue reuerſus ẽ·

¶ Item de duobꝫ fratribꝫ quorũ
vni peccãti deus pro alteriꝰ indul
ſit caritate· Capi·xiij·

Duo fratres p̱rexerunt ad
ciuitatem vt venderent qd
operati fuerant· Et cum a ſe inui
cem in ciuitate diuiſi fuiſſent incur
rit vnus in fornicacionẽ Veniens
autem frater eius poſtea dixit ei·
Reuertamur ad cellam nr̃am fra
ter Ille reſpondit dicens Non ve
nio· Et interrogauit eũ ille dicendo
Quare frater? Et ille reſpondit·
Quia cũ diſceſſiſſes a me incurri ĩ
tẽptacõez ⁊ fornicatꝰ ſũ Ille aũt vo
lẽs euz lucrari cepit dicẽ· Quia ⁊
m̃ ſic cõtigit qñ ſepatꝰ ſũ a te incur
ri ⁊ ego ĩ fornicacõez Sꝫ eamꝰ hic
⁊ ſimul penitẽciã agamꝰ cũ oĩ labo
re ⁊ deꝰ ignoſcz nob pctm̃· Qui cũ
veniſſet ad cellã reuelerũt ſenibꝫ qd
eiꝰ ꝯtigeãt Dederũt gͦ eis illi mãda
ta quibꝰ penitẽciã agerẽt Ille aũt vnꝰ

non p ſe· ſ; pro fratre illo alio ita penitēciam agebat tanq̄ ſi et ipſe peccaſſet · Videns autem de9 laborem ꝛ caritatē eius intra paucos dies manifeſtauit vni de ſenibus q pro multa caritate illius fr̄is qui non peccauerat indulſerit illi qui fornicatus eſt et hoc eſt reponere animā ſuā p frē ſuo.

¶ Exemplo ioſeph ꝛ iob temptacōnibus vſq; ad finem eſſe reſiſtēdum· Ca·xiiij·

Interrogauit frat̄ ſeniorē· Quid agam q anim9 meus in puo labore vulneāt me? Dicit ei ſenior Nō eīn miramur · Joſeph cū eſſet puer in egipto in terra colentiū ydola queādmodū temptacōes viriliter ptulit ꝛ deus glorificauit eū vſq; in finē· Videam9 et iob q ſe vſq; ad mortē nō relaxauerit timēs deum· vn̄ euz nullus a ſpe dei mouere potuit ·

¶ Qualiter quidā ſolitari9 tēptatus a muliere digitos ſibi incenderit ·ipſaq; a mortuis ſuſcitata deinceps caſte vixerit Ca·xv·

Solitari9 quidā erat in inferioribus ptibus egipti· Hic erat nominatiſſim9· q ſolus ſedebat in cella in deſerto loco· Et ecce iuxta opacōnem ſathane mulier quedaz inhoneſta audiens de eo dicebat iuuenibus Quid vultis michi dare et depono iſtum ſolitarium veſtꝝ? Illi autē cſtituerunt certum quid daturi eēnt ei· Que egreſſa veſpere venit in cellā eius velut errans Et cū pulſaſſet cellam egreſſus eſt ille ꝛ vidēs illam turbatus eſt dicēs Quomō huc veniſti? Illa āt quaſi plorās dicebat· Errādo huc veni· Qui cū miſeracōne viſcez moueretur introduxit eā in atriolū cellule ſue et ipſe intrauit interi9 in cellaz et clauſit· Et ecce infelix illa clamauit dicens · Abba fere comedunt me hic· Ille autē iteꝝ turbatus ē· timens eciā iudicium dei dicebat· Vn̄ michi venit hec ira? Et apriēs oſtium introduxit eā intro Cepit autē dyabol9 velut ſagittis ſtimulare cor eius in eam· Qui cum intellexiſſet dyaboli eſſe ſtimulos: dicebat intra ſemetipſū· Vie inimici tenebre ſunt · filiis autez dei lux eſt· Et ſurgens incendit lucez namꝫ cū inflāmaretur deſiderio dicebat: qm̄ qui talia agunt in tormenta vadūt· Proba ergo teipſū ex hoc ſi potes ſuſtinere ignē eternum· Et mittebat digitū ſuum in lucernā· Quē cū incendiſſ; ardēs non ſenciebat ꝑpter nimiā flāmā carnalis ↄcupiſcēcie· Et ita faciens vſq; mane incēdit oēs digitos ſuos · Illa autē infelix vidēs q̄ d faciebat a timore velut lapidea facta ē· Et venientes mane iuuenes q̄ eam miſerāt ad mōchū illū dicebāt· Venit huc mulier ſero· Ille aūt dixit· Ecce vbi dormit Et intrātes inuenerūt eā mortuā

Et dicunt Abba mortua eſt Tūc ille reuciens palliolum ſuuz quo vtebatur oſtendit eis manus ſuas dicēs· Ecce quid fecit michi filia iſta dyaboli pdidi omnes digitos meos Et narrans eis quod factum fuerat dicebat Scriptū ē Non reddes malū pro malo Et faciens oracionē ſuſcitauit eā Que cōuerſa caſte ſeegit reſiduū tēp⁹ vite ſue·

¶ De fratre qui deſiderio cōiugij deum ſe negare conſenſit & poſtea penitens indicio columbe veniam pmeruit· Capi·xvi·

Frater quidaz impugnabatur a fornicacione· Cōtigit autem vt veniret in uicum quēdaz egipti et videns filiam ſacerdotis paganorum adamauit eam· Et dixit patri eius Da michi eā vxorem? Ille autem r̄ſpondens dixit Non poſſum eam dare tibi niſi interrogauero deum meum· Et abiens ad demonem quē colebat dixit ei· Ecce monachus quidaz venit volens accipere filiam meaz: do eam illi? Reſpondens demō dixit· Si negat deuz ſuum & baptiſmū et propoſitum monachi interroga eum? Et veniens dixit ei Nega deum tuum & baptiſmum & propoſitum monachi & dabo tibi filiaz meā· Ille vero conſenſit et ſtatim vidit velut columbam exire de ore ſuo et volare in celum· Pergens autem ſacerdos ad demonē dixit Ecce promiſit ſe tria illa facturū Tunc r̄ſpondens dyabolus dixit ei· Non des ei filiam tuam in vxorem· quia deus eius non receſſit ab eo ſed adhuc adiuuat eum Et veniens ſacerdos dixit fratri illi Non poſſum eam tibi dare· q̄r adhuc deus tuus adiuuat te & non r̄ceſſit a te· Hec audiens frater dixit in ſemetipſo Si tantam bonitatem oſtendit deus in me cū ego infelix negauerī et ipſū & baptiſmum & propoſitum monachi bon⁹ autem deus eciam ſic malū nunc vſq̄ꝫ adiuuat me: cur ego recedā ab eo? Et ī ſemetipſū r̄uerſus recepit ſobrietatē mētis Et venit in heremū ad magnū quēdā ſenē & narrauit ei rem q̄ fuerat facta· Et reſpondit ei ſenex· Sede mecū ī ſpelūca & ieiuna tres ebdomadas cōtinuas et ego dep̄cor deum pro te Et laborauit ſenex pro frē et dep̄catus eſt dn̄m dicens Obſecro te dn̄e dona michi animā hāc et ſuſcipe penitenciam eius Et exaudiuit oracōnē eius deus Et cū impleta fuiſſet prima ebdomada venit ſenex ad illum fratrem et interrogauit eum dicens· Aliq̄d vidiſti? Et reſpōdēs frater dixit Eciam vidi columbam ſurſum in altitudine celi contra caput meum volantem· Et reſpondens ſenex dixit ei· Attende tibimetipſi et deprecare deum intente· Secūdo vero venit iterz ſenex ad frēz

et interrogauit eū dicēs · Vidiſti
aliquid? Et rn̄dit · Vidi columbā
venientem iuxta caput meū · Et p̄
cepit ei ſenex dicens · Sobrius
eſto mēte ⁊ ora · Et cōpleta tercia
ebdomada venit iterū ſenex et int̄
rogauit eū dicēs · Ne aliquid plꝰ
vidiſti? Et reſpōdens ille dixit ·
Vidi colūbā q̄ venit et ſtetit ſup̄
caput meū et tetēdi manū meā te
nere eam Illa autē ſurgēs intra
uit in os meū · Et gracias agens
deo ſenex dixit frī · Ecce ſuſcepit
deus penitenciā tuā de cetero attē
de tibimetipſi ⁊ eſto ſollicitus Et
reſpondēs frater dixit Ecce āmo
do terciū ero donec moriar · !

¶ De filio ſacerdotis ydoloꝝ qui
p̄ inſultātes demones diſcēs caſū
monachi factꝰ eſt monachus ·

Dicebat qui Cap̄ · xvij ·
dam de thebeis ſenibus q̄
ipſe eſſet filius ſacerdotis ydolo
rum et cum paruulus ſederem in
templo ⁊ vidiſſem patrem meum
frequenter ingredi ſacrificia of
ferre ydolo et q̄ ſemel occulte pꝰ
ipſū intrauerim ⁊ viderim ſatha
nā ſedētē ⁊ oīē miliciā eiꝰ aſtātē
ei ⁊ ecce vnꝰ de p̄ncipibꝫ eiꝰ veiens
adorauit eum · Cui dyabolꝰ dixit
Vn̄ veīs tu? Et ille reſpondit · In
illa p̄uincia eram et ſuſcitaui il
lic bella et perturbacōes plurimas
et effuſiones ſanguinis faciēs ⁊
veni nūciare tibi · Et dyabolꝰ int̄
rogauit · In q̄ntū tempis hoc feci
ſti? Et ille reſpondit In triginta
diebus Et dyabolꝰ iuſſit eum fla
gellari dicens Tanto tempore hᵒ
ſolum feciſti. Et ecce alius veni
ens adorauit eum · Et ipſi dixit ·
Vnde venis tu? Et reſpondit de
mon · In mari eram ⁊ ſuſcitaui cō
mociones et dimerſi naues ⁊ mul
tos homines occidens veni nūcia
re tibi · Et dixit ei dyabolus Quā
to tempore hoc feciſti? Et ille re
ſpondit · Sunt dies viginti · Et
hunc ſimiliter iuſſit flagellari di
cens · Quare in tantis diebus hᵒ
ſolum feciſti? Et tercius veniens
adorabat eum · Dixit autem ⁊ hu
ic · Et tu vnde venis? Et reſpon
dit · In illa ciuitate fui et dum ibi
fierēt nupcie excitaui lites ⁊ mul
tas effuſiones ſanguinis feci · in
ſuper et ipſum ſponſum occidi et
veni nunciare tibi · Et dixit ei · In
quantis diebus hoc feciſti? Et re
ſpondit · Decem · Juſſit autem et
hūc tāq̄ q̄ morasˢ feceāt flagellaī
Venit autem et alter adorare eū
et dixit ei · Vnde venis? Et reſpō
dit in heremo eram · Et ecce qua
draginta anni ſunt q̄ impugno
monachum quendam et vix no
cte vna preualui vt facerem eū
fornicari · Quod dyabolus audi
ens ſurrexit ⁊ oſculatus eſt eum
et tollens coronam quam ipſe ha
bebat poſuit in capite eius ⁊ fecit

eum ſibi in vna ſede ꝯſedere dicēs
Magnam rem ⁊ fortem egiſti· Et
hoc ego cum vidiſſem vel audiſſem
dixi intra memetipſū Valde mag
nus eſt ordo monachorum· Et ita
placuit deo ſalutem donare michi
et egreſſus ſum et factus ſum mo
nachus·

¶ De fratre vndecies ſe accuſan
te quomodo tandē ſenis humilita
te q̄euit eius tēptacio· Ca·xviij·

Quidam frater ſtimulatus
eſt a fornicacione· Et ſur-
gens nocte perexit ad ſenē ⁊ dixit
ei cogitacionem ſuā· Et cōſolatus
eſt eum ſenex· Ex qua conſolacio
ne proficiens reuerſus eſt in cellā
ſuam ⁊ ecce iterū ſtimulus forni
cacionis temptauit eum· Ille autē
iterum abijt ad ſenem Factū eſt
autē hoc frequēter· Senex vero
non ꝯtriſtauit eum· ſed loqueba
tur ei que ad vtilitatem eius perti
nerent dicēs Non cedas dyabolo
nec relaxes animū tuum· ſed ma
gis quociens moleſtus eſt tibi de
mon· veni ad me ⁊ increpa ⁊ ita in
crepatus diſcedet· Nichil enim ſic
expellit ipſum demonē fornicacō
nis· quomodo ſi reuelantur ſtimu
laciones eius et nichil eum ſic leti
ficat quomodo ſi abſcondantur co
gitaciones Venit ergo frater ad
ſenē vndecies accuſans cogitacio
nes ſuas Poſtea autem dixit fra
ter ſeni· Oſtende caritatem abba
et dic michi verbū· Dicit ei ſenex
Crede fili quia ſi permittit deus co
gitaciones meas quibus ſtimula
tur animus meus in te trāſferre nō
eas portabis· ſed omnino cades de
orſum· Hoc autem dicente ſene
propter nimiā caritatem eius q̄euit
ſtimulus fornicacōis a fratre·

¶ Quod non cum duricia· ſed cū be
nignitate auerſos a nobis debea
mus reuocare· Ca·xix·

Venit aliquādo frater ad quē
dam ſenē dicens Frater meus ſol
uit me egrediens huc atq; illuc ⁊
pro hoc affligor· Et rogauit eum
ſenex dicendo· Equanimiter por
ta frater ⁊ deus videns laborē ſu
ſtentacionis tue reuocabit eū ad
te Neq; enim poſſibile eſt vt cū du
ricia ⁊ auſteritate facile ab intenci
one ſua aliquis reuocetur· quia
nec demon expellit demonē· ſ; ma
gis benignitate reuoca eum ad te
quoniā ⁊ deus noſter conſolando
ad ſe homines trahit·

Et narrauit ei dicens· quia fue
rint in thebaida duo frēs et cum
vnus incurriſſet fornicacōnē di
cebat ad aliū· Reuertor ad ſecu
lū· Alter vero plorabat dicens·
Non te dimitto frater diſcedē et
perdere laborem tuū et virginita
tem tuam Ille vero nō acq̄eſcebat
dicendo· Non hic ſedebo ſed va
dam aut veni mecum et iterum
ſedeo tecum aut certe dimitte me
vt in ſeculo permaneam· Vi
dens ergo frater nunciauit hoc

cuidam ſeni magno · Dixit autez
ſenex Vade cū ipſo ⁊ deus illum p
laborem tuū non pmittit corruē ·
Qui conſurgens abijt cū eo ad ſe
culum · Et cū puemiſſent ad quen
dam vicum vidēs deus laborez il
lius · quia ex caritate ⁊ neceſſita
te fratrez ſuum ſequebat᷑ : abſtu
lit cōcupiſcēciam a fratre eius ·
Et dicit fratri ſuo · Eam⁹ iterum
ad heremum · Ecce puto ꝗ iā pec
caui cū muliere q̄d lucratus ſū ex
hoc : Et reuerſi ſunt illeſi in cellā
ſuam · :

De monacho lapſo ī fornicacō
nē q̄ p ānum iugiť penitēs nocte
ſacre dñice reſurrectōnis indicio
lucerne ſue p̄ce accēſe veniā pro
meruit · Capitulū · xx · :

Monach⁹ quidā ſolitari⁹ āti
qu⁹ ⁊ in ꝯuſacōe pficiens ſe
debat in mōte in ptib⁹ ātinoo · ſic
audiuim⁹ a notis monachis cui⁹
verbis et actu multi pficiebant ·
Et cuz talis eſſet excitat⁹ eſt dya
bolus ad inuidiaz ꝯtra eū ſicut et
cōtra ōnes viros virtutū · Et im
mittit eius in aīmo cogitacōez ta
lem vt ei qui in tali ꝯuſacōne eſſet
nō debēt ſuiri ab alio ā miſteriū
exhiberi · ſʒ magis ipſū debere alijs
miniſtraē · Qd ſi alijs non exhibe
ret miniſteriū ſaltē ſibijpſi ſerui
ret dicēs · Vende ergo in ciuitate
ſportellas q̄s facis ⁊ eme tibi que
opus ſunt ⁊ reuertere ad locuz tu
um et nulli ſis onerōſus · Hoc āt
ſuggerebat dyabol⁹ inuidens q̄e
ti eius ⁊ oportune vacacōni eius
ad deum et vtilitati multoꝝ · Vn
diqz enī dyabol⁹ venari eū ⁊ cape
re feſtinabat · Ille vero tanq̄ bo
ne cogitacōni acquieſcēs deſcēdit
de monaſterio ſuo et q̄ erat ōmibꝫ
admirādus · ignotus cū huiuſmo
di inſidiātis aſtucie · notus āt ⁊ fa
moſus ōmib⁹ a quibꝫ videbat᷑ · Exi
ens autē cum non poſt multū tem
pus mulierem vidiſſet p incaute
la ſua ſupplantatus eſt et incur
rit in eā · Et veniens in deſertum
locum ſequente dyabolo veſtigia
ei⁹ iuxͣ flumē cecidit · Et cogitās
ꝗ gauiſus ē inimic⁹ de ruina ei⁹
voluit ſeipſum deſperaē · quia ſpi
ritum domini cōtriſtauerat ⁊ ſan
ctos angelos et venerabiles prēs
quorum multi eciā in ciuitatibus
habitantes ſuperauerunt dyabo
lum · Et cum nulli ſe horum face
re ſimilem poſſet contriſtabatur
valde et non recordabatur · quia
deus eſt qui tribuit virtutem hijs
qui ad deum deuotiſſime conuer
tuntur · cecatus et non videns pec
cati ſui curam voluit ſe in flumen
iactare : vt perfectum gaudiū fa
ceret inimico · Ex multo enim aī
mi dolore infirmatus eſt corpore
⁊ niſi poſtea miſericors deus auxi
lium preſtitiſſet ei : ad perfectum
gaudium inimici ſine penitencia
moreretur · Nouiſſime autē in ſe
reuerſus cogitauit maiorē laborē

in afflictione penitēcie demonſtra
re ⁊ ſupplicare deo in fletu ⁊ plan
ctu ⁊ ita r̄diit iterum ad monaſte
rium ſuū · Et damnans oſtiū cel
le ſue ſicut ſolet ſuper mortuū ita
flebat ſupplicans deo · Ieiunans
autē ⁊ vigilans cū omni anxieta
te extenuauit corpus ſuū ⁊ nec ſic
ſatiſfactū putabat animo ſuo · q̄
cōgrue penituiſſet · Fratribꝫ autē
ſepe venientibus ad ſe ſue vtilita
tis cauſa ⁊ pulſantibꝫ oſtium ipſe
dicebat non ſe aperire poſſe dicēs
Sacramento me cōſtrinxi vnum
annū deuote penitēciā agere · Sed
orate ꝑ me · Nec eñ inueniebat ·
quomodo ſe eis excuſaret quoniā
illi ſcandalizabantur · hec audien
tes de eo · q̄ erat honorabilis ⁊ mag
nus valde monachus · Fecitq̄ to
tū annū ieiunās intente ⁊ deuote
penitenciā agens · Die autē pa
ſce nocte ipſa dñice reſurrectiōis
tollens lucernā nouā ⁊ faciens eā
poſuit in caccabo nouo ⁊ cooperiēs
de operculo a ſero ſurrexit ad ora
cionē dicens Miſericors ⁊ miſe-
rator deus qui ⁊ barbaros ſaluari
vis et ad veritatis agnicionē ve
nire : ad te confugi fidelium ſalua
tor miſerere mei · quia plurimum
te exacerbaui ⁊ inimicū meū gaude
re feci ⁊ ecce mortuus ſum obedi-
ens ei · Tu domine ⁊ impiis et hiis
qui ſunt ſine miſericordia miſere
ris · ſed ⁊ proximis miſericordiā
impēdi precipis miſerere humili

tati mee · Apud te eñ nichil impoſ
ſibile eſt · qm̄ ſecus infernum diſſi
pata eſt ſicut puluis anima mea
Fac miām quia benignus es ⁊ mi
ſericors figmento tuo qui ⁊ corpa
que non ſunt in die reſurrectiōis
ſuſcitaturus es · Exaudi me domi
ne · quia defecit ſpiritus meus ⁊ in
felix anima mea · tale factū ē ⁊ cor
pus meū qđ coinquinaui ⁊ iam vi
uere non valeo proeo q̄ non cre
didi · Ignoſce peccatori ꝑ peniten
ciā duplex habēti pctm̄ ex deſpe
racione · Viuifica me contritū ⁊ ig
ne tuo precipe hanc lucernā accē
di vt ⁊ ego accipiens fiduciā miſe
ricordie ⁊ indulgencie tue · r̄ſiduū
tempus vite mee qđ michi dona
ueris mandata tua cuſtodiam ⁊
a timore tuo non r̄cedam · ſꝫ deuo
te ſeruiam tibi amplius q̄ꝫ primo
Et hec in nocte ipſa reſurrectiōis
cum multis lacrimis dicens ſurre
xit vt videret ſi accēſa eſſet lucer
na · Et diſtecto caccabo vidit q̄
non eſſet accenſa ⁊ cecidit iterum
in faciē ſuam rogans dñm ⁊ dicēs
Scio domine · q̄ certamē factū ē
vt coronarer ⁊ nō ſteti in pedibꝫ
meis eligēs magis ꝓpter carnis
delectacionē tormētis ipiorꝫ adici
Parce ergo michi dñe · Ecce eñ
iterum confitebor tue bonitati tur
pitudinē meā coram angelis tuis
⁊ corā iuſtis oībus ⁊ niſi quia ſcā
dalizari poſſunt eciā oībus homi
bus cōfiterer · Deus miſerē mei et

vt alios erudiaꝫ domine viuifica
me· Et ita tribus vicibus orans
exauditus eſt· Et ſurgens īuenit
lucernam clare ardentē· Et exul
tans in ſpe cōfortatus eſt in gau
dio cordis admirans de gracia di
quia ⁊ peccatis eius īdulſit ⁊ ſatiſ
fecit iuxta peticōneꝫ eius aīo eiꝰ
et dicebat Gracias tibi ago domi
ne quia eciā vite ſeculi huiꝰ indig
no misertus es in magno ⁊ nouo
ſigno hoc fiduciā tribuens· Par
cis em̄ animabꝫ miſericors quaſ
creaſti· Ita autē pſeuerante eo ī
confeſſione illuxit dies ⁊ letabat̄ ī
domino oblito corporali cibo· Ig-
nē autem lucerne illius toto tem
pore vite ſue ſeruauit oleū ſubin
de ſuperfundens et faciens deſup
quo minꝰ extīgueret̄ ⁊ ita rurſus
diuinus ſpūs habitauit in eo· Et
factus eſt apud omnes īſignis hu
militatē exhibens in confeſſione
et graciarū actione domīo cū leti-
cia· Cui eciā ante aliq̄t dies mor
tis ſue reuelatum eſt de tranſitu
ſuo·

¶ Qualiter ſenex quēdaꝫ tracta
uerit alijs detrahentē· Ca·xxi·

Frater temptatus a demone
pfectus eſt ad ſenē quēdā
dicens· quia illi duo frēs ſimlr̄ ſūt
⁊ male viuūt· Cognouit autē ſe-
nex· quia a demone illuderet̄ mit
tenſqꝫ vocauit eos ad ſe· Et cum
fcm̄ eēt veſpe poſuit mattā duobꝫ
frībus illis et cooperuit eos ī vno
ſtratu dicenſ· Filij dei ſancti ſunt
Dixit autem diſcipulo ſuo Hunc
frēm claude ī cella ſeorſū· ipē em̄
paſſiones quas illiſ obicit hꝫ ī ſe·

¶ Quod cuidam fortiter diu dimi
canti deus omnē carnalem cōcu-
piſcenciā abſtulerit· Ca·xij·

Frater quidam tēptatus eſt
pſſime a fornicacōiſ demo
ne· Quatuor ei demones ī ſpecie
pulchraꝝ mulierū trāſſormati iu
giter q̄dragīta diebꝫ pſeuerarīt
pungnātes aduerſus eū vt trahe
rent eū ad turpē cōmixtionē Illo
autē viriliter reluctāte ⁊ minime ſu
parto deꝰ aſpiciens bonū eiꝰ certa
men: donauit ei vt vltra nullū ca
lorem carnalis cōcupiſcencie ſen
tiret·

¶ Contra petulānciam carnis mā
xime valere tria· Ieiuniū ſilēciū
et ſolitudinem· Ca·xxiij·

Venit aliqn̄ frat̄ ad abbatē
paſtorē ⁊ dixit ei· Quid facio pat̄
qr affligor a fornicacōe? Et prexi
ad abbatē Ibiſtiōeꝫ ⁊ dixit m̄ Nō
debes eā longo tēpore pmittē hita
re in te· Dicit ei abbas paſtor Ab
batiſ Ibiſtionis actus ſurſū ī celo
ſūt cū angelis ⁊ latet eū· ego aūt
et tu in fornicacione ſumꝰ· Si er
go teneat monachꝰ vētrē ⁊ liguaꝫ
⁊ maneat ī ſolitudīe: ꝯfidat quia
nō moritur·

¶ Quomodo per fratrū oracōnē
a quodam fratre ſtimulꝰ carnis
quieuit· Ca·xxiiij·

FRater quidam ſtimulatus
eſt a fornicacõne et cepit de
certare et extendere abſtinenciā
ſuam per annos quatuordecim co
gitaciones ſuas cuſtodiens : ne cõ
lis nequaq̄ diceret tibi talia De⁹
em̄ audiēs vocem ſodomor̄ nō cre
didit niſi deſcenderet ⁊ videret ocu
lis ſuis· Et ille dixit Ego vidi ocu
lis meis Hec audiens ſenex ēſpe
xit in terrā ⁊ tenuit puam feſtucā
et dicit ei· Quid eſt hoc? Et ille re
ſpondit· Feſtuca eſt· Et iter̄ intē
dit ſenex ad cellule tectum ⁊ dicit
ei· Quid eſt hoc? Et ille ait· Mate
ries maior que portat tectum· Et
dixit ei ſenex· Pone in corde tuo·
q̄ peccata tua ſic ſūt ſicˉ trˉbeˢ hec
Illius aūt fratris de quo loq̄ris ē
velut hec parua feſtuca· Audiēs
aūt abbas Siſoys hūc ſermonē
⁊ admiratus eſt ⁊ dixit· In quo te
beatū faciā abba paſtor? Verūta
mē velut p̄cioſus lapis ita verba
tua gloria et gratia plena ſūt·

Abbas paſtor ſolitarium de ſcri
pturis ꝓponentem quare declina
uerit. Ca·xvi·

Fuit q̄dā frat̄ aliq̄n de mōa
ſterio abbatis paſtoris pe
gre et applicuit ad quendā ſolita
rium· Erat em̄ ille habens cū om
nib; caritatez et multi veniebant
ad eum· Nūciauit aūt ei frat̄ ille
quedā de abbate paſtore· Qui au
diens virtutes animi eius deſide

rauit eum videre· Cū autez reuer
ſus eſſet ille frater in egiptu; poſt
aliquātū t̄pis ſurgēs ſupradict⁹
ſolitarius venit de pegrinis in egi
ptū ad eūdez fratrē qui pri⁹ appli
cuerat apud eum· Dixerat em̄ ei
vbi maneret· Videns autē eū ille
miratus ē ⁊ valde gauiſus· Dixit
autē ei ille Solitarius· Vnde cari
tatē quā habes i me ⁊ deduc me ad
abbatē paſtorē Et tollēs eum du
xit ad ſenē ⁊ nūciauit ei d' eo dicēs
Quia magnus homo eſt ⁊ multā
caritatē habēs ⁊ honorē plurimū
in ꝓuincia ſua venit deſiderans te
videre· Suſcepit ergo eum cū gr̄
tulacōne ſenex et ſalutātes ſe inui
cem reſederunt Cepit aūt loqui pe
regrinus ille frater de ſcripturis
ſanctis et de rebus ſpūalibus Ab
bas aūt paſtor auertit faciē ſuaz
⁊ non dedit ei reſponſū· Vidēs āt
ille q̄ nō loqueret̄ cū eo ꝯtriſtat⁹
exijt ⁊ dicit fratri illi qui eū addu
xerāt Inuanū iter iſtud aſſumpſi
Veni em̄ ad ſenē ⁊ ecce nec loqui
mecum dignatur· Intrauit autē
frater ad abbatē paſtorem ⁊ di-
cit ei· Abba ꝓpter te venit magn⁹
hic vir habens tātam gloriaz in lo
co ſuo· Quare non locutus es cu;
eo· Reſpondit ei ſenex· Iſte de ſur
ſum eſt et de celeſtibus loquitur·
ego autem de deorſum ſum ⁊ de ter
renis loquor· Si ergo michi locu
tus fuiſſet de paſſionibus anime
ego vtiq; reſponderem ei· Sed q̄

de ſpiritualib⁹ ego hec ignoro Ex
iens autē frat̄ dixit ei Senex nō
cito de ſcripturis inq̄rit · ſʒ ſi quis
ei loquit̄ de paſſioībꝫ aīme ꝛ̄ſpō
det ei · Tunc ille ꝯpunct⁹ intrauit
ad ſenem ⁊ dixit ei · Quid faciā ab
ba q̄ꝛ paſſiōes aīe dn̄antur mei ?
Et intuitus eū ſenex gaudens di
xit ei · Modo bene veniſti Nūc ape
riens os meū de hijs impleo illud
bonis · Ille autē valde edificatus
dicebat · Vere hec eſt via carita
tis Et gracias agēs deo q̄ꝛ tā ſan
ctuꝫ viꝝ videre meruit ꝛ reuerſus
eſt in regionē ſuam ·

Quātum penitēcie tempus idē
Paſtor deo dignū dixerit ·

Frater inꝗ̄ro Ca · x vij ·
gauit abbatem Paſtorem
dicēs · Feci peccatū grande ⁊ volo
triēnio penitere · Dixit autē ei ab
bas Paſtor Multū eſt · Et dixit
frater · Iubes annū vnū ? et dixit
iteꝝ ſenex · Multū eſt · Qui autē
pn̄tes erāt dicebāt Vis vſq ad q̄
dragīta dies ? Senex iteꝝ dixit
Multum eſt · et adiecit dicēs Ego
puto q̄ꝛ ſi ex toto corde homo peni
tenciā habueit ⁊ nō appoſuerit fa
cere iterum vnde penitebat eciam
triduanaꝫ penitenciam ſuſcipiat
deus ·

Quid ſit ſine cauſa iraſci ·

Frater qui Ca · x viij ·
dam interrogauit abbateꝫ
Paſtorē dicens · Quid eſt h⁹ q̄d
ſcriptum eſt qui iraſcitur frī ſuo
ſine cauſa · et ille reſpondit · Ex
ōni re qua te grauare voluerit fr̄
tuus ſi iraſceris aduerſus eū do
nec oculum tuū dexteꝝ eiciat et a
te piciat ꝛ ſine cauſa iraſceris ei ·
Si autē aliquis voluerit te ſepa
re a deo ꝓ hoc iraſcere ·

Quid abbas Paſtor fratri ꝓ
hereditate ſibi commiſſa req̄renti
reſpondit · Ca · xix ·

Tem frater quidā interrogauit
eum dicens Dimiſſa eſt michi he
reditas quid facio ex ea ? Dicit ei
abbas Paſtor · Vade ⁊ poſt tres
dies veni ⁊ dico tibi · Venit autem
ſicut prefiniuit et dicit ei ſenex ·
Quid tibi habeo dicere frat̄ · Si
dixero tibi da eam eccleſie ꝛ clerici
ſibi faciunt ꝯuiuia ex ea · ſi auteꝫ
dixero da eaꝫ parentibus tuis ꝛ n̄
eſt tibi merces · ſi autē dicam da
paupibus ꝛ ſecurus eris Quicquid
ergo vis vade fac ego cauſam nō
habeo ·

Qui ſunt cum quibus demōes
pugnant · Ca · xx ·

Nterrogauit abraham qui erat
abbatis Agathonis diſcipulus
abbatem Paſtorem dicens Qua
re me ſic demones impugnant ·
Et dicit ei abbas Paſtor · Te im
pugnant demones · Non pugnāt
nobiſcum demones · Quando au
tem voluntates noſtras facimus
demones facte ſunt ⁊ hee ſunt que
tribulant nos vt faciamus eas ·
Si autem vis ſcire quales illi

ſunt cū quibꝫ demones pugnāt cū
abbate Moyſe et ſimilibꝫ eius·
¶ Hoiez nō poſſe a bono p dyabo
lū phiberi· ꝶ malaz volūtatē in eo
eē culpabilē· Ca·xxi·

Frater quidaz interrogauit
abbatē Pambo dicēs Qua
re me phibet ſpūs q̇ddaz facere bo
nū pximis? Dixit ei ſenex· Nō
ſic loquaris alioquin deū menda
cē facies· ꝶ dic magis : oīno miam
facere volo· Preueniēs autē deus
dixit· Dedi vobis poteſtatē calcan
di ſup ſpētes a ſcorpiones a ſuper
oēm v̄tutem inimici· Cur ergo im
mūdos ſpūs nō conculcas?
¶ A mēbris nr̄is viciorꝝ materiā
amputandam· Ca·xxij·

Frater q̇dā dixit abbati Si
ſoy Quare a me nō recedūt
paſſiones? Et dixit ei ſenex· quia
vaſa earūdē paſſionū intra te ſūt
Sꝫ da eis pignus ſuūa recedūt·
¶ Qnā ſagaciter abbas Silua
nus quedā docuerit ꝑt̄ cōtempla
tiuā vitā actiuaz non omittēdaz·
Venit quidaz Ca·xxiij·
frat ad abbatē Siluanum
in mōtē ſyna a vidit frēs opantes
et dixit ſeni· Nolite opari cibuz q̄
perit Maria em̄ optīaz ptez elegit
Et dicit ſenex diſcipulo ſuo Voca
Zachariaz et mitte iſtū fratrē in
cellaz vbi michil eſt· Et cum facta
eſſꝫ hora nona intēdebat ad oſtiū
ſi mitterent et vocarent eū ad mā
ducādū· Et cū nemo loqret ei ſur
gens venit ad ſenem a dicit ei· Ab
ba hodie frēs non comederunt Et
dixit ſenex· Etiaz iam comederūt
Et dixit ei frater ille· et quare me
non vocaſtis· et reſpondit ſenex·
Tu homo ſpūalis es a nō indiges
hoc cibo· nos autē carnales ſum⁹
et volentes mādūcare ꝑpterea ope
ramur manibꝫ nr̄is Tu vero par
tē bonam elegiſti : legens tota die
et nolens ſumere carnalez cibum
Qui cū hec audiſſꝫ ꝓſtrauit ſe ad
penitentiaz dicens Ignoſce m̄ ab
ba· Et dixit ei ſenex· Puto opus
habet oīno Maria Marthe· per
Marthā em̄ Maria laudatur·
¶ Iram nō diu eē tenēdaz a q̄ n̄
hō· ſed dyabolus odio ſit habēd⁹·

Dixit ſancta Ca·xxiiij·
Sincletica Bonum eſt qui
dem non iraſci· Si autem venerit
nec ſpatiū diei huic paſſioni cōceſ
ſum eſt· Dixit em̄· Nō occidat ſol
ſup iracundiaz veſtraz· Tu autez
expectans donec tempus vite tue
occidat neſcis dicere : ſufficit diei
malitia ſua Quare odio habes hoī
nē qui te non nocuit? Nō eſt ipſe
qui te nocuit· ꝶ dyabolus· Odiſſe
ergo debes egritudinē nō egrotū·
¶ De ſene romano a egipcio mo
nacho quomodo alter alterius vi
te conſiderata qualitate primo ſcā
daliſatus : poſtea diſceſſerit edifi
catus· Ca·xxv·

Venit aliqn̄ moch⁹ q̇dā ab vr
be roma q̄ i palatio magnū

locum magnum habuit ⁊ habita
bat in ſcychi in vicinitate eccleſie
Habebat autē ſecum vnū ſeruuz
qui miniſtrabat ei· Videns autē
p̄ſbiter eccleſie infirmitatez eius
et cognoſcens q̄ꝗa de delicijs eſſet
vir ille: ex eo q̄d ei donabat de⁹
vel q̄d i ecclāaz intrabat trāſmitte
bat ei· Qui cum feciſſet vigintiqn̄
qꝫ annos in ſcychi factus eſt vir
ꝯtemplator ꝓuidens et nominatus
Audiens autem quidā de magnis
monachis egipcijs opinionē ei⁹:
venit videre eum ſperans conuer
ſacōnem corporalē plus apud euz
arduā inuenire· Qui cum intraſ-
ſet ſalutauit eum ⁊ facientes oraci
onē ſederunt· Videns autem euz
egipcius veſtitum mollibus veſ⁹
et mattam de papiro ⁊ pellez ſtra
tam ſub ipſo ⁊ modicū capitale ſꝰ
capite eius ſꝫ ⁊ pedes mundos ha
bentem cū caligulis: ſcandaliſat⁹
eſt intra ſe de eo· q̄a in loco illo n̄
erat ꝯſuetudo taliter cōuerſandi·
ſꝫ magis durā abſtinenciā habere
conſueuerāt· Senex autē ille ro
manus habēs ꝯtemplacōnis ſiue
ꝓuidencie graciā intellexit quia
ſcandalizatus fuerat egipci⁹ mo
nachus in eo ⁊ dicit miniſtro ſuo
Fac nobis hodie ꝓpter abbatez q̄
venit bonam diem· Et coxit pa
olera que habebat· Et ſurgentes
hora ꝯpetenti comederūt· Habuit
eciā ⁊ modicum vini ꝓpter infirmi
tatē ſuā ⁊ illud biberunt· Et dum

factū eſſet veſpere dixerūt duode
cim pſalmos ⁊ dormierunt· Simi
liter autez ⁊ nocte· Et ſurgēs ma
ne egipcius dixit· Ora ꝓ me· Et
egreſſus eſt nō edificatus in eo·
Et cum paululū diſceſſiſſet volēs
eum ſenex ille roman⁹ ſanare mi
ſit poſt ipſum ⁊ reuocauit illū Et
cum veniſſet cū gaudio iterū ſuſce
pit eum· Et interrogauit eum di
cens Ex qua ꝓuincia es: Et ille
dixit· Egipcius ſum· Et dixit ei·
Cuius ciuitatis: Et rn̄dit· Ego ō
nino nō fui in ciuitate nec habi-
taui aliqn̄ in ciuitate ſed in agro
erā Et dixit ei Ergo ātēq̄ mona
chus eſſes q̄d operabaris in poſſeſ
ſiōe qua manebas: Et reſpōdit
Cuſtos erā agrorū· Et dixit illi·
Vbi dormiebas: Rn̄dit in agro·
Et dixit habebas aliq̄d ſtratuz:
Et reſpondit· Ego in agro vnde
potui habere ſtramēta in quibus
dormirē: Et dixit· Et quō dormie
bas: Reſpōdit In terra nuda Et
dixit q̄d mādu cabas in agro ⁊ q̄
le vinū bibebas: Iterū reſpōdit·
Que ſunt eſce aut q̄lis potus in
agro: Et dixit· Quō ego viuebas
Rn̄dit Māducabā panē ſiccuz ⁊
ſi inueniebā aliq̄d de ſalſamētis ⁊ bi
bebam aquā ⁊ dixit ſenex Gran
dis labor· ⁊ iterū dixit Erat ibi bal
neū i poſſeſſiōe vbi lauaberis: et
ille dixit Nō· ſꝫ i flumīe lauabar
qn̄ volebā Cūqꝫ oia ab eo ſenex ꝑ
rn̄ſiōem ei⁹ exegiſſz ⁊ cognouiſſet

modum prioris vite ei9 atq; labo
ris volens eū pficere: narrauit ei
ſuam vitam preteritam quam ha
bebat cum eēt ſecularis dicēs Me
miſeꝝ quē vides de magna illa
ciuitate roma ſum habens in pala
tio magnum locum apud impato
rem. Et cum audiſſet egiptius ini
tia verboꝝ eius compūctus ē ⁊ ſol
licite que dicebant̄ audiebat. Et
ille adiecit dicēs. Reliqui ergo ro
mam ⁊ veni in ſolitudinē iſtā. Et
iterum dixit Me quē vides habui
domos magnas ⁊ pecuīas multas
et ↄtempſi eas et veni in iſtā puā
cellam iteꝝ ait Me quem vides le
ctos veſtitos ex auro habui habē
tes p̄cioſiſſimas veſtes ⁊ p hijs de
dit m̄ deus mattā hanc de papiro
et hanc pellem Sed ⁊ veſtes mee
ineſtimabili p̄tio digne erant et
p illis vtor hijs vilibus rebus Et
iterum dixit In prandio meo mul
tum auri expendebat̄ ⁊ pro illo de
dit m̄ deus modicum oleris ⁊ par
uum calicem vini. Erāt autē et q̄
ſeruiebant m̄ plurimi ſerui ⁊ ecce
p illis iſtum vnum ↄpunxit deus
vt miniſtret m̄ Pro balneo autē
profundo modica aqua pfundo pe
des meos ⁊ caligulis vtor ꝑpter in
firmitatem meā. Et rurſus p ca
lamis ⁊ citharis vel alio muſicoꝝ
opere quo delectabar in conuiuijs
meis dico m̄ duodecim pſalmos in
die et duodecim in nocte. Et p pec
catis meis que ante faciebam mo
do cum requie exhibeo paruum et
inutile miniſterium deo. Vnde ro
go abba ut nō ſcandaliſeris ꝓpt̄
infirmitatem meam. Et hec audi
ens egiptius atq; in ſemetipſū re
uerſus dixit. Ve m̄ qꝛ ego de mul
ta tribulacione et plurimo labore
ſeculi magis ad pauſandum in cō
uerſacōnem monachi veni ⁊ qd̄ n̄
habebam tunc: modo habeo. tu āt
ex multa delectacione ſeculi volū
tate ꝓpria in tribulacionē veniſti
⁊ ex multa gloria atq; diuicijs ve
niſti in humilitatem ⁊ paupertatē
Ex quo multum pficiens diſceſſit
et factus eſt ei amicus et ſepe veni
ebat ad eum: ſue vtilitatis cauſa
Erat enim vir diſcernens ⁊ reple
tus bono odore ſpūſſā.

Quomodo frater quidā inſidias
demonū cuiuſdam ſenis āmonicō
ne euaſerit et q̄re iſdem ſenex mu
tuum petenti non dederit.

Frater ſedebat Ca. xxvi.
in cella ſua q̄ſcēs ⁊ volebāt
demōes ſeducē eū ſub ſpetie āgelo
rū et excitabāt eū vt iret ad colle
ctā et lumīa oñdebāt ei. Ille āt ve
nit ad quēdā ſenē ⁊ dixit ei Abba
veniūt āgeli cū lumīe ⁊ excitāt me
ad collectā ⁊ dixit ei ſenex. n̄ audi
as eos fili qꝛ demōes ſūt. ſꝫ qn̄ ve
nint excitaē te tu dic. Ego qn̄ volo
ſurgo. vos āt n̄ audio Accipiēs āt
fr̄ p̄ceptū a ſene reūſus ē in cellā
ſuā ⁊ ſeq̄nti nocte iteꝝ demōes ſcd̄m
ↄſuetudinē venīētes excitabāt eū

Ille vero ſicut ei pceptū fuerat re
ſpōdebat eis dicens Ego qñ volo
ſurgo vos autē nō audio· Et illi
dixerūt ei· Malꝰ ſenex ille falſa
toꝛ ſeduxit te: ad quē venit frater
volēs mutuare pecuniā cū habēt
mētitus eſt dicens ſe non habē ⁊
non dedit ei· Ex hoc em̄ cognoſce
ꝙ falſatoꝛ eſt· Surgēs ergo dilu
culo frat̄ venit ad ſenem ⁊ nūcia
uit ei hec ipſa· Senex vero dixit
Verū eſt quia hēbam ⁊ ꝙ venit frī
querēs a me mutuaē ⁊ non dedi ei
Sciebam em̄ ꝙ ſi darem ei dam
num ipſius aīme facerē· Cogita
ui ergo vnū mandatū ꝑterire ꝙꝫ
ꝑuaricari decē· ex qbꝰ ad tribula
cōnē venire potuiſſem pro illo ſi a
me pecuniā accepiſſet· Tu aūt de
mones q̄ te ſeducere volūt nō au
dias Et multū ꝯfortatus de verb
ſenis abijt in cellam ſuā·

¶ Senex diuerſa referentibus
ꝙꝫ ꝯpetēter rñderit· Ca·xxvij·

Venerūt aliqñ frēs tres ad
quēdā ſenē in ſcythia ⁊ vnꝰ
ex eis īterogauit eū dicēs Abba
ꝯmēdaui vetꝰ ⁊ nouū teſtamētū
mēorie mee· Rñdēs ſenex dixit Re
pleſti verb aerē· Et ſecūdꝰ iterro
gauit eum dicens Et ego vetus
⁊ nouū teſtamētum ſcripſi michi
ꝑ meipſū· Dixit autem ⁊ huic ⁊ tu
repleſti feneſtras cartis· Et terci
us dixit· Michi in foculare herbe
aſcenderūt ⁊ euelli eas· Et reſpō
dens ſenex dixit· et tu expuliſti a
te hoſpitalitatem·

¶ Dei miſericordiā nō poſſe cōſe
qui niſi ⁊ nos alijs miſeremur·

Narrauerūt Ca·xxviij·
quidā patrū de quodā ſene
magno· quia ſi veniebat aliquis
interrogare eum ꝑ monē: ille cū
magna fiducia dicebat· Ecce ego
ſuſcipio ꝑſonam dei ⁊ ſedeo in ſede
iudicij· Quid ergo vis vt faciam
tibi: Si dixeris miſerē mei: dicit
tibi deus Si vis vt miſereat tui
miſerere ⁊ tu fratribꝰ tuis et ego
miſereoꝛ tibi· Si vis vt ignoſcat
tibi deus: ignoſce tu ⁊ ꝓximo tuo
Nūquid a deo ē cauſa: Abſit· Sz
in nobis ē ſi volumꝰ ſaluari·

¶ De quodā ſene ꝑ verbo foris
audito cum cogitacōnibꝰ litigāte·

Dicebant Cap·xxix·
de quodā ſene in cellis· q̄a
erat magnus laboratoꝛ Et ſemel
dum facerē opꝰ ſuum cōtigit aliū
ſenē quēdā ſanctū virū venire ad
cellā eius ⁊ audiuit eum de foris
litigantē cū cogitacōnibꝰ ſuis ⁊ di
cētem· Vſqꝫ quo ꝓpter vnū verbū
ōnia illa amitto: Ille autem fo-
ris ſtās putabat ꝙ cum aliq̄ alio
litigaret et pulſauit oſtium vt in
trarē ⁊ pacificaret eos· Ingredi
ens āt ⁊ vidēs ꝙ nēo aliꝰ erat in
tro hñs āt fiduciā apd ſenē dixit
ei· Cū q̄ litigabas abba: ⁊ ille rñ
dit Cū cogitacōnibꝰ meis ꝙ qua-
tuordecī libros memorie mee com
mendaui et vnum verbū modicū

audiui foris. Et cū venissem facē
opus dei omnia illa perdidi et hoc
ſolū qđ foris audierā venit in me
moriam michi in hora miniſterij
mei et propterea litigabaʒ cum co
gitacōne mea.

¶ Fratres quidā de ꝯgregacōne
qualiť ab vno heremita benigne
ſuſcepti ⁊ ab alio ꝙ̄ induſtrie ſūt
fatigati. Ca. xxx.

Fratres de ꝯgregacōne vene
rūt in heremū et applicuerūt
ad quendā heremitam ⁊ ſuſcepit
eos cum gaudio. Et ſicut eſt ꝯſue
tudo heremitis videns eos de labo
re poſuit menſam extra horam ⁊
qđ habuit in cella appoſuit eis et
repauſauit eos Et quādo factum
eſt ſero dixerūt. xij. pſalmos ſim
liter ⁊ nocte. Cum aūt ſenex vigi
laſſʒ audiuit illos inť ſe loquētes
⁊ dicētes ꝙ ſolitarij viri plꝰ ꝛpau
ſant in heremo ꝙ̄ nos in ꝯgregaci
one. Mane autē facto cum ambu
laturi eſſent ad aliū vicinum eiꝰ
dixit eis. Salutate eum ꝑ me et
dicite ei. Non adaques olera. Ille
aūt cū hoc audiſſet intellexit vbū
⁊ tenuit eos vſqʒ ſero laborantes
ieiunijs. Cū aūt ſero factū eſſʒ fe
cit plixius opus dei ⁊ poſtea dixit.
Ceſſemus modice ꝓpter vos ꝗꝛ de
labore eſtis. Et dixit iterū Quoti
die quidē manducare nō ſolemus
ſed ꝓpter vos guſtamꝰ modicum.
Et appoſuit eis panē ſiccū ⁊ ſal di
cens. Ecce ꝓpter vos feſtiuitatem
habemus hodie Et miſit parꝫ ace
ti in ſalibꝰ illis. Et ſurgētes cepe
runt pſallere vſqʒ mane ⁊ dixit eiꝰ
Propter vos non poſſumus adim
plē regulā noſtrā vt modice pau
ſetis. ꝗꝛ pegrini eſtis. Mane au
tē facto volebāt fugere. Ille autē
rogabat eos dicens. Manete ali
quantū temporis nobiſcum. ſin ali
as vel ꝓpter mandatum tres dies
ſcđm ꝯſuetudinē heremi facite no
biſcum. Illi autē videntes quia nō
relaxaret eos fugerūt occulte.

¶ Propter tarditatē tēpis opꝰ dei
nō eē negligēdū. Ca. xxxi.

Frater interrogauit quēdā
patrꝫ dicens Si contigerit
me grauari ſomno ⁊ tranſierit ho
ra miniſterij mei anima mea p̄ve
recundia iam nō vult implē opus
ſuum. Et dixit ſenex. Si ꝯtigerit
te vſqʒ mane dormire quādo euigi
las ſurge claude oſtiū ⁊ feneſtraſ
tuas et fac opus tuum. Scriptū
eſt enim. Tuus eſt dies et tua eſt
nox. In omni eīn tempore glorifi
catur deus.

¶ Qđ plus mercedis confeꝛat ele
moſina pauperibꝫ ꝙ̄ ꝓpinqs data
Frater aliquis Ca. xxxij.
interrogauit ſenē dicens.
Soror mea paup eſt ſi do ei elēo
ſinam nō eſt ſicut vnus de paupe
ribus. Et dixit ſenex. Non Dixit
aūt frater. Quare abba Et dixit
ſenex. Quia ſanguis ipſius trahꝫ
te modicū.

Vt auditꝰ

¶ Vt auditus ſmo bene exami-
netur veritas cito proferatur.

Dixit qui- Ca · xxxiij ·
dam ſenex · Nõ õnia que lo-
quũtur placeant tibi · neqꝫ õmi ſer-
moni cõſencias · Tardius crede ꝛ
qđ verum eſt citius dic ·

¶ Verba bona nõ diu eſſe ꝓtra-
henda · mala vero penitus eſſe di-
mittẽda · Ca · xxxiiij ·

Frater q̃dam interrogauit
puulum monachũ dicens ·
Bonũ eſt loqui : an tacere? Dicit
ei puer ille · Si ſunt verba ocio-
ſa dimitte ea · ſi autẽ bona fac lo-
cum bonũ ꝛ loquere · Verũtamẽ ꝛ
ſi bona ſunt verba non diu ꝓtra-
has · ſed cito incide quod loq̃ris ꝛ
quieſce ·

¶ Qua abſtinẽcia q̃dam fuerũt
caſtigati qui in alioꝝ refectione
fuerãt ſcãdalizati · Ca · xxxv ·

Deſcẽderunt aliq̃ monachi
de egipto in ſcychi vt vide-
rent ſeniores loci illi⁹ · Et cũ vi-
diſſẽt extenuatos fame ꝛ de nimia
abſtinẽcia impaciẽter comedere :
ſcãdalizati ſunt in eis · Hoc autẽ
p̃ſbiter agnoſcens voluit ſanare
eos ꝛ ita dimittere · Et p̃dicauit i
ecc̃a plebi dicens · Ieiunate ꝛ ex-
tẽdite abſtinẽciã veſtrã frẽs · Vo-
lebant autẽ egipcij qui illuc vene-
rãt diſcedere ꝛ retinuit eos · Cum
aũt ieiunaſſent p̃mo aporiati ſũt
Fecerat autẽ eos ieiunare biduo
ꝯtinuato · In ſcychi autẽ habitan-
tes ieiunauerũt ebdomadã · Et fa-
cto ſabbato ſederunt mãducare
egipcij cũ ſenibꝫ · Turbãtibus au-
tem ſe ad manducandũ egipcijs
vnus de ſenibus tenuit man⁹ eo-
rum dicens Cũ diſciplina mãdu-
cate quomõ monachi · Vn⁹ vero
ex egipcijs repulit manũ eius di-
cens · Dimitte me q2 morior tota
ebdomada nichil coctũ comedi Et
dicit ei ſenex · Si vos biduano in-
teruallo ieiunãtes ita defeciſtis q̃-
re in fratrib⁹ ſcandalizati eſtis q̃
ſemꝑ eodem ordine ebdomadaꝫ le-
uantes abſtinẽciaꝫ ſeruant? Illi
aũt penitenciã corã illis egerunt
et edificati in abſtinẽcia eoruꝫ ab-
ierunt cum gaudio ·

¶ Quo inicio ꝯūſiomis ſue q̃bus
ꝓhibitus ſit fieri ſolitarius ·

Frater q̃dã Ca · xxxvi ·
renũcians ſeculo ꝛ accipiẽs
habitũ monachi ſtatim recluſit ſe
dicẽs Solitari⁹ eẽ volo · Audien-
tes autẽ vicini monachi venerũt
ꝛ eiecerũt eum ꝛ fecerũt eũ circui-
re cellas fratꝝ ꝛ penitenciaꝫ corã
ſingulis agere ꝛ dicere · Ignoſcite
m̃ q2 nõ ſũ ſolitari⁹ · ſꝫ adhuc inici-
um monachi nuper accepi ·

¶ Volũtatem iuuenis eẽ cohe-
cendam · Ca · xxx vij ·

Dixerũt quidã ſenes Si vi-
des iuuenem volũtate ſua
aſcendẽtẽ in celum : tene pedes ei⁹
ꝛ ꝓice eũ in terram quia non ita
expedit ei ·

¶ Ne quis ꝓpriam ſed magis ꝓ
ximi volūtatem humiliter imple
at. Capi. xxxviij.

Dixit abbas paſtoꝛ. Voluta
tez tuā nunq̄ adimpleas. ſꝫ
magis humilia temetipſū vt faci
as volūtatē ꝓximi tui.

¶ Qꝺ loquētes vtilia ſūt ſū ten
dant. obtrectantes in ꝓfundū ca
dant. Capi. xxxix.

Dicebat quidā ſenez. Quā
do congregabamur in ini
cio adinuicē ⁊ loquebamur aliq̄d
qꝺ vtile eſſet animabꝫ noſtris. ef
ficiebamur ſeoꝛſū ſeoꝛſū aſcen
debamus in celū. Nūc autē cōgre
gamur ⁊ in obtrectacōibꝫ occupa
mur ⁊ vnꝰ alterꝫ trahimꝰ i ꝓfūdū

¶ Pro verbo iniurioſo nō eē cer
tandū cū aliquo. Capi. xl.

Dixit quidā ſenex. Si conti
gerit inter te ⁊ aliuz ſermo
triſtis aliquis ⁊ negauerit ille di
cens non dixi ſmonē hūc. nō cer
tes cum eo ⁊ dicas tu dixiſti quia
exacerbatur ⁊ dicit tibi ego dixi.

¶ Ieiunare ⁊ manibꝫ opari bo
num eſſe pura manente conſcien
cia. Capi. xli.

Venerunt aliqñ duo frēs ad
abbatem pambo et interro
gauit vnus ex eis dicens. Abba
ego biduo ieiuno ⁊ duos paxima
tes comedo. putas ſaluo aīaz meā
aut ſeducoꝛ. Et alter dixit. Ego
colligo de opere manuū meaꝝ du
as ſiliquas diurnas ⁊ paꝝ ex eis
ɾtineo ad victū. aliud autē expen
do ad elemoſinas. putas ſaluꝰ ero
aut ſeducoꝛ. Et cū plurimū roga
rent eū ille nō reſpondit eis. Pꝰ
quatuoꝛ autē dies cū diſceſſuri eſ
ſent rogabant eos clerici dicētes.
Nolite triſtari fratres deus vobis
preſtat mercedem. Hic eſt cōſue
tudo ſenis huiꝰ nō cito loquitˀ niſi
ei deus dederit quod dicat. Intra
uerunt ergo ad ſenē ⁊ dixerūt ei.
Abba ora pro nobis. Et ille dixit
eis. Ambulare vultis. Dixerunt
Eciā. Et intuens eos in ſemetipſo
accipiens opa eoꝝ ſcribebat i tra
⁊ dicebat. Pābo biduo ieiunat ⁊
duos paximates māducat. putas
in hoc erit monachus. Non. Ite
rū dicebat. Pambo laborat in die
duas ſiliquas ⁊ dat eas i elemoſi
nā. putas in hoc eſt monachus.
Necdū. Et paululuz reticēs dixit
ad eos. Bonū quidē eſt opari. ſed
ſi cuſtodias conſcienciā cū ꝓximo
tuo ita ſaluaberis. In hijs ergo edi
ficati frēs cum gaudio diſceſſerūt

¶ Stulticie deputanduz ſi nō in
terrogatus loquaris. Capi. xlij.

Frater dixit abbati paſtoꝛi
Si video rem aliquam vis
vt dicam. Dicit ei ſenex. Scrip
tum eſt. Qui reſponderit verbum
añ q̄ audiat. ſtulticia eſt ei et ob
probriū. Si ergo interrogatꝰ fu
eris dic. ſin alias tace.

¶ Nō vt itroeāt cogitacōes cōt poſ
ſe pꝛhiberi ſꝫ ne ꝑualeāt. Ca. xliij.

Frater venit ad abbatē Pa
ſtorē dicens· Multe cogi-
tacōnes veniunt in animā meaꝫ
et piclitor in eis· Et eiecit eum ſe
nex ſub aere nudo ⁊ dicit ei Expā
de ſinum tuū ⁊ apprehēde ventos
Et ille reſpōdit· Non poſſum hoc
facere· Et dixit ei ſenex· Fili ſi hᵒ
non potes facere nec cogitacōnes
ꝓhibere potes ne introeāt· ſꝫ tuuꝫ
eſt reſiſtere eis·

¶ Ut homo peccās ⁊ negans nō
dure obiurgetur· ſꝫ leniť ad peni
tēciā excitet· Cap·xliiij·

Dixit abbas Paſtor· Si pec
cauerit homo ⁊ negauerit
dicēs nō peccaui: ne increpes eū·
q̄ frangis ꝓpoſitū animi eius·
Si autē dixeris nō ꝯtriſteris fra
ter· ſꝫ ob ſua de cetero: excitas ai
mā eius ad penitēciam·

¶ Hanc eſſe regiā viam vt quo
tidie q̄s nō ad ſacietatē māducꝫ·

Interrogauit ab Ca·xlv·
bas Joſeph abbatē Paſtorē di-
cens· Quō opus eſt ieiunare Et
dixit abbas Paſtor Ego volo vt
q̄tidie q̄s māducās ſubinde pau-
lulum ſubtrahat ſibi ne ſacietur
Et dixit ei abbas Joſeph· Ergo
quando eras iuuenis non ieiu na
bas biduanas leuādo: Et dixit ei
ſenex· Crede m̄ q̄ ⁊ triduanas ⁊
ebdomadā ſꝫ hec ōnia ꝓbauerunt
ſenes vt magni et inuenerunt q̄
bonum eſt quotidie māducare ⁊
per ſingulos dies parum ſibi ſub
trahere ⁊ oſtenderunt nobis viaꝫ
hanc regalem· quia leuior eſt et
facilis·

¶ Abbas iohannes quare por-
rectum poculum ceteris abſtinen
tibꝫ ſolꝰ accepit· Ca·xlvi·

Uenerunt aliquādo ſenes q̄
dam in ſcychi· erat autē cū
eis ⁊ abbas iohānes Nanus· Et
dum comederent ſurrexit quidaꝫ
p̄ſbiter vir magnus vt daret per
ſingulos vaſculum aque puū ad
bibendum ⁊ nemo acquieuit acci-
pere ab eo niſi ſolus iohānes bre
uis· Admirati ſunt autem ceteri
⁊ dixerunt ei· Quomō tu cum ſis
ōnium minimꝰ p̄ſumpſiſti mini-
ſterio vti viri ſenis ⁊ magni: Dic
eis· Ego quādo ſurgo dare aquā
gaudeo ſi ōnes bibant vt merce
dem acq̄raꝫ· Nunc igitur ꝓpterea
ego ſuſcepi vt faciam eum qui ſur
rexit inuenire mercedem· ne forte
eciam contriſtetur nullo ſuſcipiē
te ab eo· Hec cum dixiſſet admirā
ti ſunt de diſcrecōne eius·

¶ Corpore virente animā ſiccari
et profectum anime corporis eē de
trimentum· Ca·xlvij·

Dicebat abbas Daniel quia
quātum corpus vireſcit tā
tum anima exiccatur ⁊ quantuꝫ
ſiccatum fuerit corpus anima tā
tū vireſcit·

¶ Euagrius ⁊ Arſenius collo
quētes quare ſibi egipcios mona
chos preualerint· Ca·lxviij·

DIxit aliquādo euagrius ab
bati arſenio · Quomodo ex
tanta erudicione ſciencie nullas
virtutes habem⁹ · hij aūt ruſtici ī
egipto cōuſantes tātas virtutes
poſſident: Reſpondit abbas arſe
nius Nos quia mūdane erudicio
nis diſciplinis intenti ſum⁹ nichil
habem⁹ Hij aūt ruſtici egipcij ex
ꝓprijs laboribꝫ acquiſierunt vir
tutes ·

Qua fiducia abbas arſenius
agapē pro ſe fieri poſt vite obituꝫ
recuſauerit · Ca · xlix ·

DIxit abbas daniel · quia cū
moriturus eſſet abbas arſe
nius delegauit nobis dicēs · Vide
te ne velitis ꝓ me agapē facē qm̄ ſi
feci ego pro meipſo iueniō ·

Ubi abbas paſtor cauſam r̄d
dit quare ſibi loquēti r̄ſponſū nō
dederit · Ca · l ·

UEnerūt aliqn̄ p̄ſbiteri regi
onis illi⁹ ad monaſteria vi
cina ī q̄bus eciā erat ⁊ abbas pa
ſtor ⁊ īt rogauit abbas Anub ⁊ di
xit ei · Rogem⁹ p̄ſbiteros iſtos ho
die accipe hic in caritate donū dei
Ille autē ſtans diu nō dedit r̄n̄ſū
Abbas vero Anub ꝯtriſtat⁹ exijt
Dixerūt autē abbati paſtori qui
iux̄ eū ſedebāt · Quaē n̄ dediſti ei
r̄n̄ſū: Et dixit eis abbas paſtor
Ego cauſaꝫ nō habeo iā mortuus
ſū · Mortuus enim non loquitur
Non ergo reputetis me q᷑ hic mē
cū ſū ·

Qui non facit q̄d docet ſimilē
eſſe puteo ſordida diluenti ⁊ ſordi
do permanēti · Capi · li ·

DIxit abbas paſtor · Si q̄s
docet alios ⁊ nō facit q̄d do
cet: ſimilis eſt puteo q̄ oēs ad ſe
venientes ſaciat ⁊ diluit ſordes ſe
autem ipſum purgare nō poteſt ·
ſed ſpurcicia et īmundicia in eo
omnis ē ·

Duo ſenes quid abbatiſſam
ſaram de humilitate ammonue
rint vel quid ipſa reſponderit ·

UEnerunt Ca · lij ·
aliquando duo ſenes mag
ni de partibus peluſij ad abbatiſ
ſam ſaram · Et dum ambularent
dicebant ad inuicē Humiliemus
vetulā iſtam · Et dicunt ei · Vide
ne extollatur animus tuus et di
cas · quia ecce ſolitarij viri ad
me que mulier ſum veniunt · Et
dixit eis abbatiſſa ſara · Sexu
quidem mulier ſum · ſed non ani
mo ·

Item verba eiuſdē ſare q̄d p̄ ce
teris nolit · quid cū alijs habere de
ſideret · Ca · liij ·

ITē dixit abbatiſſa ſara Si
ꝑpoſcero a deo vt omnes
homines edificentur ex me: inue
nior ante ianuas ſingulorum pe
nitenciam agens · ſed magis oro
vt cor meum cum omnibus puruꝫ
ſit ·

Quare abbas Yſaac pueros adduci ꝓhibuerit Ca·liiij·
Dixit abbas Yſaac theleus frãbus ſuis ·Pueros huc ñ adducatis ꝗ ꝑpt pueros iſcychi q̃tuoꝛ ecãe heremꝰ facte ſunt·
Incipiunt capitula·
Quã glorioſe ex hac vita mi grauerit abbas Agathon· Capitulũ pmũ· fo·C30·
Aduenientibus malis cogitacõni bus cõfugiendũ eſſe ad deũ p ora cionem Ca·ij· fo·C30·
Senex quidã ſpm̃ paciens obli uionis quomõ donante do litera cõſit ab eo Ca·iij· fo·C30·
Qd abbas Paſtoꝛ de tribus ſer monibus vnũ oblitus ad interro gandum per longã cũſus ſit vi am Cap·iiij· ·fo·C31·
Abbas Siluanꝰ rigãs oꝛtum q̃ re faciem cucalla operuerit Capi tulum·v· ·fo·C31·
Non ꝯfidendum in vita quãtum libet bona vſq3 ad moꝛtem Capi tulum·vi· ·fo ·C31·
Hominẽ ne poſſe ledi a dyabolo ſi deus fuerit ante oculos eius Capituluʒ·vij· ·fo·C31·
Quomõ ſenex quidã cogitacõni bus ſuis reſiſtebat ne penitẽciaʒ differret Cap·viij· fo·C31·
Qua ſobrietate mentis tribꝰ ini mici virtutibus reſiſtatur Capi tulum·ix· fo·C31·
Quomõ frater varijs fluctuans cogitacionibus tandem inſtancia ſua demonum verſucias euicit Ca pitulum·x· fo·C31·
De quodã ſene moꝛiẽte a tedio ti dente Cap·xi· fo·C31·
Qd timoẽ dei mala cogitacõ cõſu matur Cap·xij· ·fo·C32·
Contra inſidias inimici mentis circũſpectõnẽ nobis eſſe neceſſari am Cap·xiij· ·fo·C32·
De cuſtode dattiloruʒ qui aues abegit Cap·xiiij· ·fo·C32·
Coꝛpus ad laboꝛem ·animã ad ſobrietatem eſſe cogendam Capi tulum·xv· ·fo·C32·
Quomõ quãto plus quis contra malos pugnat cogitatꝰ tanto ſibi ſentiẽ cõſtẽtes Ca·xvi· ·f·C32·
Et qui tacere neſcit facile de ſcri pturis non preſumat loqui Capi tulum·xvij· ·fo·C32·
De ſene qui deum rogauit vt ad verba vtilia vigilaret ad ocioſa doꝛmiret et congruum cauſe exẽ plum Ca·xviij· fo·C32·
Quomõ abbas iohẽs frãbuſ rem tẽpoꝛalem ſibi ꝓponentibꝫ ſpũali rñſiõe occurrit Ca·xix· fo·C32·
Qd abbas Siluanꝰ nũq̃ pmi ſit in coꝛde ſuo morari cogitacõem malaʒ Cap·xx· fo·C32·
Ut cogitacio nrã ſemp celeſtibꝰ ſit intẽta Ca·xxi· ·fo·C33·
Ut fidelis quiſq3 puritate coꝛdis do placẽ ſtudeat C·xxij· ·f·C33·

De ſobrietate Pars vndecĩa·
Quã glorioſe ex hac vita migrauerit abbas Agathõ· Ca·p·

Dixit abbas agathon
Non debet monachꝰ
ꝑmittere conſciencie
ſue vt accuſet eum in
quātūqꝫ de Quādo autē moriturꝰ
erat memoratus abbas agathon
tres dies immobilis manſit aper
tos oculos tenēs Pulſauerūt au
tem eū fratres dicētes. Abba vbi
es? Et ille reſpondit. In conſpe-
ctu diuini iudicij aſſiſto. Dicunt
ei. Et tu times? Et ille dixit. Inte
rim laboraui virtute qua potui in
cuſtodiendis mandatis di. ſed ho
mo ſum ꝛ neſcio vtrū placuerint
opera mea corā deo. Dicunt ei fra
tres Et non confidis de operibus
tuis. quia ſcd̄m deum ſunt? Et di
xit ſenex. Non preſumo niſi vene
ro ante deum Aliter enim ſunt iu
dicia dei ꝛ aliter hominū. Cuꝫ au
tem vellent adhuc eum interroga
re aliuꝫ ſermonē: dicit eis Oſten
dite caritatem ꝛ nolite mecū loqui
quia occupatus ſū. Quo dicto ſta
tim emiſit ſpiritū cum gaudio Vi
debant enim eum colligentem ſpi
ritū quēadmodū ſi q̄s ſalutet ami
cos ſuos dilectos Habuit āt cuſto
diā magnā i oībꝫ ꝛ dicebat. q̄ ſine
cuſtodia ad nullā v̄tutē aſcēdit hō

¶ Aduenientibus malis cogita
cionibus cōfugiendū eſſe ad deuꝫ
per oracionē. Ca. ij.

Dixit abbas iohānes breuiſ
q̄ ſimil' ſū hoī ſedēti ſub arbore
magnā ꝛ attēdenti beluas multaſ
ꝛ plura ſerpēcia ad ſe venīēcia ꝛ cū
ſe viderit. q̄ nō poteſt ſtare aduer
ſus eas: feſtinat aſcendere i arbo
rem vt ſaluetur. Ita ꝛ ego ſedeo i
cella mea ꝛ attēdo cogitacōeſ mali
gnas ſuꝑ me ꝛ cū nō ꝓualeo adūſꝰ
eas: cōfugio ꝑ oracōnē ad dn̄ꝫ et
ita ſaluꝰ efficior ab inimicis meis

¶ Senex quidaꝫ ſpiritū paciēs
obliuionis quomodo donante deo
liberatus ſit ab eo. Ca. iij.

Senex q̄daꝫ erat i ſcythi ha
bens q̄dē toleranciā corporalē. ſꝫ nō
valde ſcrupuloſꝰ erat i retinēdiſ
q̄ audiebat Abijt gͦ iſte ad abba
tē iohānē breuē vt interrogaret eū
de obliuione ſua. Et audiens ab
eo ſermonē redijt in cellam ſuaꝫ
Et oblitus qđ dixerat ei abbas io
hannes iteꝝ abijt ꝛ interrogauit
eum Audiens aūt ab eo ſermonē
reuerſus ē. Mox autē vt ꝑuenit in
cellā ſuā oblitus ē qđ audiuit At
qꝫ ita multociens vadens atqꝫ re
uertens dn̄abat᷑ ei obliuio. Poſt
hec vero rurſus occurrens ſeni di
xit noſti abba. q̄ oblitus ſuꝫ ite-
rū qđ dixiſti m̄. Sꝫ ne tibi mole
ſtus eſſē ideo nō veni Dixit aūt ei
abbaſ iohāneſ Vade icēde lucnā.
Et icēdit. Et dixit ei Affer alias
lucernas ꝛ icēde ex ea. Et fecit ſic
Et dixit abbas iohēs ſeni. Ne ali
q̄d leſa ē lucna. q̄ ex ea alias icē
diſti? Et dixit Nō Ita igr̄ nec iohā
neſ ledit᷑ ſi toti i ſcythi veniāt ad me
nec ipediāt me a caritate di. qn̄ igit᷑

vis demi nichil heſitans·Et ita p paciencia vtrorumqꝫ abſtulit deus obliuionem a ſene·Hoc enim erat opus habitancium in ſcythi vt amaret eos qui impugnabantur a quacumqꝫ paſſione ⁊ extorquebant ſibi laborem vt ſemiuicem lucrarentur in bono·

¶ Qd abbas Paſtor de tribus ſermonibus vnum oblitus ad interrogandum per longam reuerſus ſit viam· Ca·iiij·

Abijt aliqn abbas Paſtor cum eſſet iuuenis ad quendam ſenem vt interrogaret eum tres ſermones·Cum ergo peruiſſet ad ſenem oblitus eſt vnum ex tribus ſermonibus que eum interrogare venerat·Et reuerſus in cellam ſuam cum tetendiſſet manum vt teneret clauem recordatus eſt ſermonis illius que fuerat ante oblitus et ſuſtulit manum a claui ⁊ reuerſus eſt ad ſenem·Senex autem dixit ei·Acceleraſti venire frater·Et ille narrauit ei qꝫ cum tetendiſſem manum tenere clauem recordatus ſum ſermonis que querebam ⁊ non aperui cellam·ſꝫ mox ad te ſum reuerſus·Erat autem longitudo vie multa nimis·Dicebat ei ſenex·Vere gregum paſtor nominabitur nomen tuum in tota terra egipti·:·

¶ Abbas ſiluanus rigans ortum quare faciem cucullа operuerit·:

Capitulum quintum·

Sedente aliquando abbate Siluano in monte ſyna voles diſcipulus eius abire ad quoddam monaſterium ſuum dixit ſeni·Dimitte aquam ⁊ riga ortum·Ille autem exiens ad dimittendam aquam tegebat faciem ſuam de cuculla ſua tantum ad pedes ſuos itendens·Contigit autem vt ipſa hora quidam ſuperueniret ad eum ⁊ videns eum alonge conſiderauit quid faceret·Et cum perueniſſet ad eum dixit ei·Dic michi abba vt quid tegebas de cuculla faciem tuam ⁊ ſic adaquabas ortum:·Et dixit ei ſenex Ne viderent oculi mei arbores et occuparetur mens mea ab opere ſuo in conſideracione earum·

¶ Non confidendum in vita qualibet bona vſqꝫ ad mortem·:·

Venit quidam ſenex ad alium ſenem ⁊ cum loquerentur vnus ex eis dixit Ego mortuus ſum huic ſeculo·Alter vero dixit ei·Ne confidas in temetipſo donec exeas de corpore iſto·Nam ſi de te dicis qꝫ mortuus es:ſathanas autem mortuus non eſt·:

Cap·vi·

¶ Hominem non poſſe ledi a dyabolo ſi deus fuerit ante oculos eius·

Dixit ſenex Cap·vij· Dormiente te ⁊ ſurgente vel aliud quod facientem ſi fuerit deus ante oculos tuos in nullo te inimicus poterit deterrere·Et ſi talis cogitacio manſerit in homine eciam dei virtus manet in eo·

¶ Quomodo ſenex quidam cogi
tacionibus ſuis r̄ſiſtebat ne peni
tenciā differret· Capi· viij·
Dicebāt de quodam ſene· q̄
q̄n ei cogitacōnes ſue dice-
bāt dimitte hodie cras penitere:
cōtradicebat eis ille dicens Non
ſed hodie penitēciā ago· craſtino
autē fiat voluntas dn̄i·

¶ Qua ſobrietate mentis tribus
inimici v̄tutibus reſiſtat̄· Ca·ix·
Dicebant ſenes· quia tres
ſunt v̄tutes ſathane ex q̄bꝫ
p̄cedūt vniuerſa peccata· prima
obliuionis ·ſc̄da negligencie·tc̄ia
ꝯcupiſcencie Etenim ſi obliuio ve
nerit generat negligenciā de ne-
gligencia cōcupiſcencia naſcitur·
De cōcupiſcencia autē corruet ho
mo· Si ei ita ſobria eſt mens vt
obliuionē reſpuat ad negligēciā
n̄ venit· Et ſi nō neglexerit cōcupi
ſcenciā nō r̄cipit· Si vero cōcupi
ſcēciā nō recipit nūq̄ cadet opitu
lante gracia xp̄i·

¶ Quomodo frater varijs fluctu
ans cogitacionibus tandē inſtan
cia ſua demonū verſucias euicit·
Frater quidam Capi·x·
in cellis infundebat palmu
las ſuas qui cum ſediſſet facere
plectas dicit ei cogitacio ſua vt
iret ad quēdam ſenē viſitare eū·
Et iterū cogitans in ſemetipſo di
cebat· Poſt paucos dies vadā.
Et dicebat ei cogitatus ſuus Si
interhec moritur quid faciā: Sꝫ
vade modo vt loquaris ei quia eſti
uū tempus Et iterꝫ dixit intra ſe·
Sed nō eſt modo t̄pus Iterꝫ aūt
cogitauit dicens Sed cū inſcides
ſcirpuꝫ ad mattas ſit t̄p⁹ Rurſ⁹
dixit· Expēdo palmulas iſtas ⁊ tūc
vado· Rurſus dixit in ſemetipſo
Sꝫ hodie bonū aerē facit Et ſur
gens reliquit palmas infuſas et
tollens melotem ſuam ibat· Erat
autē ſenex quidā vicin⁹ ⁊ vir pre
uidens Qui cū vidiſſet eū in impe
tu ambulantē clamauit dicens·
Captiue captiue vbi curris: Ve
ni huc ad me· Qui cum veniſſet di
cit ei ſenex Reuertē in cellā tuam
Ille autē frater narrauit ei flu-
ctus q̄s ptulerat i cogitacōnibꝫ ſu
is et ita reūſus ē in cellā ſuā· Et
cū igreſſus fuiſſꝫ in eam pſtrauit
ſe ⁊ penitenciam egit Hoc facto vo
ce magna ſubito demones clama
uer̄t dicētes Viciſti nos mōche vi
ciſti nos· ⁊ fc̄ā ē matta ei⁹ ſup̄ quā
iacebat velut ab igne vſtulata· de
mōes aūt velut fum⁹ extīminati ſūt
Sicq̄ꝫ fr̄ ille didicit v̄ſucias eoꝝ

¶ De quodam ſene moriente et
tercio ridēte· Ca·xi·
Dicebāt de q̄dā ſene q̄ morie
bat̄ i ſcythi et circūdederūt fr̄es le
ctū ei⁹ ⁊ veſtierūt eū ⁊ ceperūt flē Il
le aūt apuit oc̄los ſuos ⁊ riſit· Et
adiecit iterꝫ ridē· H⁹ et fc̄m ē t̄cio
qḋ cū vidiſſet fr̄es rogauer̄t eū di
cētes Dic nob̄ abba q̄re nob̄ flēti
bꝫ tu rides Et dixit eis Pr̄mo riſi q̄

vos timetis mortẽ· Secũdo riſi q̃ nõ eſtis pati· Tercio autẽ riſi q̃a ex labore ad requiem vado ⁊ vos ploratis· Hoc cũ dixiſſz ſtatim vt pote mortuꝰ recluſit oculos ſenex

Qd timore dei mala cogitacio cõſumatur· Cap̃·xij·

Venit aliq̃n frat manẽs in cella apud vnũ de pãbꝰ et dixit ei· q̃ cogitacõe ſua affligeretur· Et dixit ei ſenex· Tu ꝓieciſti in terrã ferramẽtũ magnũ quod eſt timor dei ⁊ accepiſti in manu tenerã arũdineã virgã· hoc eſt cogitacões malas· Accipe ergo tibi magis ignẽ qd eſt timor dei ⁊ q̃n tibi approximat cogitacio mala: velut calamꝰ igne timoris dei ꝯburetur· Neqz enĩ preualet malicia ad vſus eos qui hñt timorẽ dei·

Contra inſidias inimici mẽtis circũſpectõem nobis eſſe neccãriã Ca·xiij·

Dixit q̃dã ſenũ Qñ enĩ cooperiũtur oculi aĩalis tũc circuit ad molendũ· Si autẽ diſcoopertos habuerit oculos nõ ãbulat in circuitu mole· Sic enĩ ⁊ dyabolꝰ ſi occurrerit cooperire oculos hoĩs in õne peccatum hũiliat eum Qd ſi illuminati fuerint oculi eius facilius poteſt effugere·

De ſene cuſtode dattilorũ qui aues abegit· Ca·xiiij·

Dicebat ſenex quia in mõte abbatis Antonij cuſtodes ſedebant ſeptem tẽpore dattilorũ et vnus ex eis abigebat ab eiſ volucres Erat autem ſenex ibi qui in die qua eum dattilos cuſtodiẽ cõtigebat: clamabat dicẽs Diſcedite de intro male cogitaciones et deforis aues·

Corpus ad laborez animã ad ſobrietatẽ eẽ cogẽdã Ca·xv·

Dixit ſenex· Surgẽs mane dic ad temetipſum· Labora corpus vt paſcaris ſobria eſto aĩa vt apprehẽdas hereditatem·

Qd quãto plus q̃s contra malos pugnat cogitatꝰ tãto ſibi ſentire reſiſtẽtes· Cap̃·xvi·

Frater dixit ſeni cuidã· Nichil pugne video in corpore meo· Et dixit ei ſenex Tu ſic es velut quadrigemina porta vt q̃cumqz deſiderat intret· vnde voluerit intra ⁊ vnde voluerit exeat ⁊ tu nõ intelligis q̃ aguntur· Nam ⁊ ſi habueris ianuã ⁊ clauſeris eã in nec permiſeris intrare ꝑ eã cogitacões malas tunc videbis ſtantes foris et pugnãtes aduerſum te·

Vt qui tacere neſcit facile de ſcripturis loqui nõ preſumat· Cap̃·xvij·

Venit abbas Ammon ad abbatem Paſtorem ⁊ dicit ei· Si vado ad cellam vicini aut ſi ille ad me venerit pro aliqua reſponſione veremur loqui ad inuicem ne incurrat aliqua incompetens fabula ⁊ aliena a propoſito monachi· Et dixit ei ſenex· Bene facis neccãriã

em̄ habet iuuentus custodiaz· Di
xit ei abbas āmon· Senes ergo
quid faciebant? Et dixit ei· Jam
ſenes pficientes atq3 firmati nō
habebant in ſe aliud quid aut pe
grinū in ore ſuo vt id loquerētur
Et ille dixit Si ergo ſit neceſſi-
tas cū viano loquēdi: videt̄ tibi vt
de ſcripturis cū eo loquar ā de ver
bis et ſentencijs ſenioꝝ? Et dixit
ei ſenex Si non potes tacere: bo
nū eſt magis vt de verbis ſenioꝝ
loquaris ꝙ̄ de ſcriptura Pericu-
lū eſt em̄ nō paruū·

De ſene qui deū rogauit vt ad
verba vtilia vigilaret ad ocioſa
dormiret a congruū cauſe exem-
plum· Ca· x viij·

Narrauit abbas caſſianus
de quodam ſene in heremo
ſedēte· q̄ rogauerat deū vt dona
ret ei ne dormitarz aliqñ cū de ſpi
ritualibus reb⁹ ſermo fieret? Si
autez detractionis aut ocioſa ver
ba eſſent: ſtatī i ſomnū cōuertere
tur vt ñ huiuſmodi venenū aures
eius exciperent Hic dicebat dya
bolū ſtudioſū eſſe vt moueret ho
mines ad verba ocioſa· impugna
torem autē tocius doctrine ſpūa
lis Ad quā rem hoc vtebatur exē
plo Loquēte inq̄t me aliqñ de vtili
tate animarū ad quoſdā fratres
tantū ſomno pfundo occupati ſūt
vt nec palpebras oculoꝝ mouere
potuiſſent Ego autē volens oſten
dere opus demoniācuz eſſe: ocio-
ſaꝝ verū verba introduxi ad que
illi audientes ſtatim a ſomno ex̄ci
tati ſunt Ego autē ingemiſcens di
xi vſq3 nūc de celeſtibus rebus lo
q̄bamur a oīm vr̄m oculi ſomno
grauiſſimo tenebantur· quādo au
tez ſmo ocioſus inuentus eſt: om
nes pmpti audire cepiſtis Prop
ter qđ rogo frēs kariſſimi cogno
ſcentes maligni demonis opus eē
attēdite vobiſmetipſis cuſtodiētes
vos a ſomno quādo aliqđ de ſpūa
libus facitis vel auditis·

Quomodo abbas iohānes fra
trib3 rē temporalem ſibi ppronēti-
bus ſpirituali reſponſione occur
rit· Ca· xix·

Venerūt aliqñ fratrū q̄daz
temptantes iohannē bre-
uem· quia non dimittebat mentē
ſuā diffundi in cogitacōib3 ſeculi
neq3 loquebat̄ cauſaz mūdi hui⁹
Et dicūt ei Gracias agim⁹ deo· q̄
multū pluit iſto anno a rigat ꝯpe
tenter arbores palmarū et tene i
cipiūt pducere ramos a inueniūt
fratres qui ſolent manuū ſuaruz
opib3 occupari· Dicit ergo eis ab
bas iohannes· Sic eſt a qñ ſpūſ
ſanct⁹ deſcendit i corda ſcōꝝ vire
ſcunt quodāmodo et innouant̄ a
proferūt folia in timore di·

Qđ abbas ſiluanus nūq̄ per
miſit in corde ſuo morari cogitacō
nē malā· Ca· xx·

Nterrogauerūt aliqñ abbatē ſilua
nū q̄dā dicētes In q̄ cōuerſacione

opat⁹ es vt accipes prudẽciã iſtã
Et ille r̃ndẽs dixit· Nũq̃ pmiſi i
corde meo cogitacõnẽ morari que
exacerbaret deum·

¶ Vt cogitacio noſtra ſemp ĩ ce
leſtib⁊ intenta ſit· Capi·xxi·

DIxit abbas Pxericı⁹ Cogita
cio tua ſemp ſit in regno ce
loꝝ ⁊ cito in hẽditatẽ accipies illd

¶ Vt fidelis q̃ſq⁊ puritate cordis
deo placere ſtudeat· Ca·xxij·

DIxit ſenex fratri cuidã· Po
ne qꝛ dyabolus ẽ inimicus
et tu dom⁹ Inimicus ergo ñ ceſſat
iactare ſup te q̃cq̃d ſordidũ ĩuene
rit effundẽs in te vniuerſas imũdi
cias ·tuũ ẽ aũt nõ negligere vt pi
cias foras que iactauerit ille Nã
ſi neglexeris replebit̃ tibi domus
ſordib⁹ et nequaq̃ valebis ĩtrare
in eã· ſed ab inicio q̃ ille iactauerit
tu eice paulatim ⁊ manebit dom⁹
tua mũda p grãm xpi·

¶ Incipiunt capitula·

QUod maximi laboris ſit deũ
ſine ceſſacõne orare· Capi·
pmũ· ·fo·Czz·
De abbate Heſaione q̃tuordecim
dieb⁹ orãte et qũo aquã orãdo ĩpe
trauit· Ca·ij· fo·Czz·
Qd expãſis manib⁹ orãte abba
te ioſeph facti ſunt digiti eius ve
lut decem lampades ignis ·Capi
tulũ·iij· fo·Czz·
Abbas luci⁹ qũo oſtẽderit eẽ ſñ i
tmiſſiõe orãdũ· Ca·iiij· fo·Czz·
De quodã ſene ad cui⁹ oracõnez
pluuia mox fcã ẽ· C·v· ·fo·Czx·
Itẽ de frẽ cui⁹ oracio vt ignis cã
deũ aſcendit· Ca·vi· ·fo·Czx·
De õmino ceſſem⁹ bonũ facere qd
poſſum⁹ q̃uis nõ totũ poſſit eẽ bo
nũ qd facim⁹ Ca·vij· ·fo·Czx·
Qd q̃dã ſedẽs cũ frĩb⁊ ⁊ loquẽs cẽ
tum ⁊ tres oracõnes fecit· Capi
tulum·viij· fo·Czx·
Animã nõ niſi a cogitacionibus
purgatã cõtemplatiue orare poſ
ſe· Ca·ix· fo·Czx·
Et contra malũ ĩminẽs pmpta
ſit ĩugit̃ ſancte oracõnis defenſio
Ca·x· fo·Czx·
Abbaˢ Hyſoi manib⁹ expanſiˢ
orans quãtũ eciam mente ſuſtol
leret̃ ad ſupna· Ca·xi· fo·Czx·
Quid valeat aſſidua oracõ ·Ca
pitulũ·xij· fo·Czx·
Quomodo ſit orandu⁊ · Capitu
lũ·xiij· fo·Czx·

¶ De cõtinua oracõne pars duo
decima·

¶ Qd maximi laboris ſit deu⁊ ſi
ne interceſſione orare· Ca·pmũ·

INterrogauerunt fratres abba
tem agathonem dicentes Pater
que virtus in conuerſacione pluˢ
habet laboris? Et dixit eis igno
ſcite michi· quia puto non eſſe ali
um laborem talem qualem orare
deum · Dum enim voluerit homo
orare deum ſuum· ſemper inimici
demones feſtinant interrumpere
oracõnẽ eius ſcientes quia ex nul
la re impediuntur niſi p oracõnẽ

fuſā ad deū· Siquidē omnē aliū
laborē quē homo in ↄuerſacōe re
ligioſa poſitus aſſumpſerit ꝗuis i
ſtanter ⁊ tolerant̄ agat · habet tn̄
⁊ poſſidet aliquā requiē· Oracō āt
vſqꝫ ad vltimā exhalacōem opus
habet magni certaminis·

¶ De abbate Beſarione quatuor
decim diebus orāte ⁊ quomō aquā
orādo impetrauit· Capitu· ij·

NArrauit abbas Dulas qui
fuit diſcipulus abbatis Be
ſarionis dicens · Veni aliquando
in cellam abbatis mei ⁊ inueni eū
ſtantem ad oracōem ⁊ manus ei9
erant extenſe in celū· Permanſit
autem hoc faciens iugiter quatu-
ordecim dies· Et poſt hec vocauit
me ⁊ dixit· Sequere me· Exeūtes
perreximus in heremum et cum ſi
tirem dixi ei· Abba ſicio· Ille aūt
tollēs melotem diſceſſit a me quā
tum eſt iactus lapidis ⁊ facta ora
cōne attulit eum plenū aqua Et ā
bulauimus in ciuitatem lycon ⁊ ve
nimus ad abbatem Johannē et
ſalutantes eum fecimus oracōnē
Deinde ſedentes ceperunt loq̄ de vi
ſione quam viderat· Dixit autem
abbas Beſarion ꝙ exiuit pceptū
a dn̄o vt deſtruantur tēpla· Et fa
ctū eſt ſic ⁊ deſtructa ſunt·

¶ Q̄d expanſis manibus orāte
abbate Joſeph fc̄a ſūt digiti ei9 ve
lut decem lampades ignis·

VEnit abbas Ca· iij·
loth ad abbatem Joſeph ⁊
dixit ei abbas loth· Scd̄m virtu
tem meam facio modicam regulā
et paruum iciunium et oracōnē ⁊
meditacōnem ⁊ q̄etem ⁊ ſcd̄m virtu
tem meam ſtudeo purgare cogita
tionem meā· Quid ergo debeo de
cetero facere Surgēs ergo ſenex
expandit manus ſuas in celum ⁊
facti ſunt digiti eius velut decem
lāpades ignis · Et dixit ei· Si vis
efficere totus ſicut ignis·

¶ Abbas lucius quomō oſtende
rit eſſe ſine intermiſſione orādū·

VEnerunt aliq̄n Ca· iiij·
ad abbatem lucium in En
nato monachi q̄dam q̄ dicebant̄
Euchite hoc eſt oratores ⁊ interro
gauit eos ſenex dicēs · Quod eſt
opus manuum veſtrarum? Et il
li dixerunt· Nos non contigimus
aliquando opus manuū· ſꝫ ſicut
dicit apoſtolus ſine intermiſſione
oramus · Dicit eis ſenex· Et non
manducatis? Illi autem dixerūt
Etiam mādu camus · Et dicit eis
Quādo ergo comeditis quis ꝓ vo
bis orat? Et iterum interrogauit
eos dicens Non dormitis? Et illi
dixerunt· Dormimus Et dicit eis
ſenex· Cum dormitis quis pro vo
bis orat? Et non inuenerunt q̄d
ad hec reſpōderent ei· Et dixit eis
Ignoſcite michi fratres quia ecce
non facitis ſicut dixiſtis · Ego au
tem oſtendo vobis · quia operans
manibus meis ſine intermiſſione
oro· Sedeo enī iuuāte deo i ſundēs

m̃ pauca palmulas ⁊ facio ex eiꝰ
plectã ⁊ dico· Miſerere mei deus
ſcd̓m magnã mĩam tuam et ſcd̓m
multitudinẽ miſeracionũ tuaꝝ de
le iniquitatẽ meam· Et dicit eis·
Oracio eſt an nõ? Et dicunt ei· Eci
am· Et ille dixit· Qñ ꝑmanſero
tota die laborãs ⁊ orãs· facio pl⁹
min⁹ ſedecĩ nũmos ⁊ pono ex eis
ad oſtiũ duos nũmos ⁊ reſiduos
manduco et qui accipit illos du-
os denarios orat ꝓ me tp̃e q̊ ego
manduco vel dormio atqꝫ ita per
graciaꝫ dei impletur in me quod
ſcriptum eſt ſine intmiſſione qui
dem orate·

¶ De quodam ſene ad cuius ora
cionem pluuia mox facta eſt·

Venit quidam ſe- Ca· v·
nex aliquã in mõte ſyna ⁊ cũ
exiret inde· occurrit ei frat̃ ĩ via ⁊
ingemiſcens dicebat ſeni illi· Af
fligimur abba ꝓpter ſiccitatẽ· qꝛ
nobis non pluit· Et dixit ei ſenex·
Quare nõ oratis et rogatis dñm
Et ille dixit· Et oracionẽ facim⁹
et deprecamur aſſidue dñm ⁊ non
pluit· Et dixit ſenex· Credo quia
nõ attencius oratis Vis autẽ ſci
re quia ita ẽ· Veni ſtem⁹ ad ora
cõnem ꝑiter· Et extendens in ce-
lum manus orauit ⁊ ſtatim plu-
uia deſcendit· Quod cum vidiſſet
frater ille timuit ⁊ procidens ado
rauit eum· Senex autẽ fugit il-
linc·

¶ Item de frẽ cui⁹ oracio vt ignis

Ante deũ aſcendit· Ca· vi·
Dixit abbas yſaac· quia pre
ſbiter peluſij cũ fierẽt agapes et
fratres in eccleſia comederent et
loquerentur ſibi ab inuiceꝫ incre
pans eos dixit· Tacete fratres
Ego enim ſcio vnum frẽm man-
ducanteꝫ vobiſcũ ⁊ ora cõnes eius
aſcendunt in cõſpectu dei vt ignis

¶ Ne omnino ceſſemus bonum
facere quod poſſumus q̃uis non
totum poſſit eſſe bonum quod faci
mus. Ca· vij·

Frater dixit abbati paſtori
Si dedero fratri meo· modi
cũ panis aut aliquid aliud demo
nes polluũt illd̓ vt videat̃ ad pla
cendũ hominibꝫ fieri· Et dixit ei
ſenex Et ſi ad placendum homi
nibus fiat tale opus· nos tamẽ de
bem⁹ fratribus prebere quo egẽt
Dixit autem ei ⁊ parabolam talem·
Duo homines erant agricole ha
bitantes in vna ciuitate et vnus
ex eis ſeminans collegit pauca ⁊
ſordida· Alius autem negligens
ſeminare omnino nichil collegit
Si ergo fames fiat· quis duorũ
poteſt euadere? Et reſpondit fra
ter ille Qui fecit q̃uis parum at
qꝫ immundum Et dixit ei ſenex
Ita et nos ſeminemus pauca et
ſi immũda ne famis tempore mo-
riamur·

¶ Qd̓ quidam ſedens cum fra
tribus ⁊ loquens centũ ⁊ tres ora
ciones fecit· Capitulũ· viij·

Narrauerunt fratres dicen
tes quia venimus aliquã̃do
ad quoſdaz ſenes ⁊ cũ ex more fa
cta fuiſſet oratio ſalutãtes inuicẽ
ſedimus. Et poſtq̃ꝫ locuti ſumus
cum diſcederemus poposcimus vt
fieret rurſus oratio. Dixit autem
vnus illorũ ſeniorꝫ ad nos. Quid
enim? Nõ oraſtis? Et nos diximꝰ
Etiam. ſed quando intrauimꝰ pa
ter tunc eſt facta oratio et ex illa
hora vſqꝫ modo locuti ſumus. Et
ille dixit. Ignoſcite michi fratres
quia vobiſcum ſedens quidam fra
ter et loquens centum et tres ora
tiones fecit. Hoc cum dixiſſ̃ facta
oratione dimiſerunt nos.

¶ Animam non niſi a cogitacõni
bus purgatam cõtemplatiue ora
re poſſe. Ca. ix.

Dicebant quidam patrũ q̃
ſicut impoſſibile eſt ut vide
ãt quis in aqua turbida faciem ſu
am. ſic et anima niſi purgata fue
rit a cogitationibus alienis contẽ
platiue non poteſt orare deum.

¶ Ut contra malum pmĩnens
prompta ſit iugiter ſancte oracio
nis defenſio.

Capitulum decimum.

Dixit abbas Euagrius. Qñ
cogitacio ꝯtraria in corde ve
nerit: noli alia pro alijs per oraci
onem querere. ſed aduerſus euꝫ
qui te impugnat gladiuꝫ lacrima
rum acue.

Abbas Siſoy manibus expan
ſis orans cõptum etiaꝫ mẽte ſuſtol
leretur ad ſupna. Ca. xi.

Dicebãt de abbate Siſoy q̃
niſi cito deponeret manus
ſuas quando ſtabat ad oracõnez
rapiebatur mens eius in ſuperio-
ribus. Si ergo contingebat cum
eo aliquem fratrem oraẽ: feſtina
